Facti, Juriſque Diſquiſitio, in Lite
jam vertente inter R^dm Ad^m P. P.

FRANCISCUM COPINGERUM,

Et

P. GEANOR,

Invictis rationibus, ſimul ac celebri auctoritate roborata.

Per R. P.

THOMAM HAROLDUM,

S. Theologiæ Lectorem Jubilatum.

Revertimini ad judicium, quia falſum teſtimonium locuti ſunt adverſus eum, Dan. 13. 49.

Nec in judicio, plurimorum acquieſcet ſententiæ, ut à vero deviet, Exod. 23. 2.

PARISIIS, Permiſſu & Juſſu Superioris.

Mandatum ſuperioris.

FRater Franciſcus Copingerus, Sacræ Theologiæ lector generalis, fratrum minorum ſtrictionis obſervantiæ Provinciæ Hiberniæ, vicarius Provincialis, Reverendo Patri Thomæ Haroldo, lectori jubilato, ſalutem in domino ſempiternam.

Harum ſerie, non tantum concedimus, ſed etiam tibi præcipimus in virtute Sanctæ obedientiæ, quatenus opus, cui titulus eſt, *narratio facti*, erudite per te elaboratum, typis, quam primum, fieri poterit, mandes, teq;, in omnibus judicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubmittas, in loco noſtri Refugy 18. *May*, 1670.

Fr. Franciſcus Copingerus
vicarius Provincialis.

97—1398

Serenissimo in Christo Principi, ac Beatissimo Patri Domino, Domino Clementi *Decimo, Dei providentia, S. Romanæ, ac universalis Ecclesiæ Christianæ Summo Pontifici.*

CUm eum in finem appellationis remedium sit institutum, ut iniqui processus series (re plane cognita) in justiorem convertatur exitum, & ut inferiorum Judicum levitas quæcunque, mitiori & maturiori temperetur arbitrio. Ego Thomas Haroldus, fratrum minorum in Hibernia minimus, oratorque hu-

millimus, & devotiſsimus ad pedum, ſi placeat *Oſcula* Sanctorum, Beatiſsime pater, cœleſti voci in Deuteronomio perſonanti obtemperans, aſcendo ad locum quem elegit Dominus, & veſtram humili qua decet devotione, accedo Sanctitatem, ut ad ſupremum Eccleſiæ Catholicæ inter nos judicem in terris, ex parte F. Franciſci Copingeri aliorumq, ejuſdem ordinis fratrum, adeo jam injuſta violentia Petri Geanor obrutorum & abjectorum, ut neq; ſpes meliori, neq; locus inferiori, relinquatur ſtatui, niſi juſtitiæ veſtræ interventu, Sanctitatẽ igitur veſtram his precibus ſupplicibus, & ſequenti tractatu oratam habere non potui omittere, ut celerius dignetur de eo, quod non languide Ordinis noſtri, ſuprema ſalus poſtulat pervidere remedio. Tu enim, Sanctiſsime Pater, Pater es oppreſſorum, conſolatio deſolatorum, via Judicum errantium, & ſalus omnium in te recte ſperantium. Hæc ſcripſi, Sanctiſsime

pa-

pater, non favore, odio, vel quocunque alio depravato affectu ductus, nec sponte propria, sed jussu Superioris, cujus auctoritati non erat mihi integrum reluctari, memetque conjeci in obligationem edendi hunc libellum, non victoriæ reportandæ causa. Absit enim a pia Ordinis mei humilitate, & a veraci de memetipso cogitatione, ut mihi vel meis viribus nimis tribuam, sed ad finem agendi & experiendi de juribus nostris, & ut re tota constituta coram Sanctitate vestra, vel eis quibus eandem committere determinandam ipsa dignetur, id fiat quod de jure requiratur, non enim aliquid a justitia alienum petimus, nec quicquam in desiderio habemus, quin tota causa nostra vivæ vocis vestræ oraculo finiatur, vel ut committatur judicibus juris dispositioni astrictis, eum in finem, ut eadem prout reperta fuerit facti veritas, fine debito, terminetur, & ut quæ nunc abstrahuntur extra ordinem, recti in semitam justi-

stitia mediante revocentur, simul ac dicti Patres, qui hujusmodi injuriam passi sunt, compensentur, secundum damni illationem, seu injustam detrimenti irrogationem, & ut interea revocentur omnimodæ ordinationes, in hoc regno nuper editæ, quibus Patres nostri eleemosynas petere prohibentur, unde omnia subsistendi media præciduntur, imo, ut totus processus contra nos, quatenus nullitatis vitio subjacet, defectu jurisdictionis laborat, vel injustus aliquo modo repertus fuerit, pro invalido pronuncietur, & ut dicti Fratres, qui nullo confecto in eos processu, nullo probato delicto, nullo juris adminiculo suffragante, nullaque justa vel rationabili causa interveniente, acerrimis innodantur censuris, quique etiamsi non fuerunt convicti, re aliqua fecisse aliter, quam de jure faciendum erat, ab officiis suis amoti sunt, in integrum restituantur, & ut eorum læsioni & dissidio, in futurum per Summam vestram pru-

den-

dentiam, benignitatem & juſtitiam occurratur; quanta enim Eccleſiæ Dei incommoda temporibus tranſactis attulerit, & hunc quotidie magis afferant Clericorum inter ſe diſſidia, late perſpexit, & cum mœrore expendat V. S. vel in ipſo Pontificatus ſui ingreſſu, a veſtra deniq; Sanctitate Sacræ Scripturæ verbis inſtructus, quæro judicii veritatem, proteſtans quod faciam (Dei gratia prævenicnte) quicquid mihi dixerint, qui præſunt, loco, quem elegit Dominus, ſequarq; ſententiam eorum, nec declinabo ad dextram, neq; ad ſiniſtram, unde me, ac jus meum, hanc quoq; narrationem cum omnibus aliis meis ſcriptis, dictis, verbis & factis, non meo tantum nomine, ſed & Superioris mei, omniumq; ei adhærentium, ſubmitto Determinationi S. Romanæ Eccleſiæ, cui obedientiam, & debitam reverentiam juxta tenorem Regulæ S. P. N. F. voveo ac permitto, ejus ſemper auxilium & indulgentiam implorans, tanquam veri's obedientiæ filius, & inutilis ſervus

Fr. T. H.

ERRATA.

PAg. 3. lin. 2. ante verbum *adhibito* lege *priusquam*. p. 4. l. 10. lege *instituantur*. p. 5. l. 5. lege *eorum*, & lin. 16. lege *demoritis*, & lin. 26 *opinionum*. p. 6. l. 13. lege *unica*. p. 7. l. 8. *ad Vicarium*. p. 8. l. 13. lege *cui*. p. 9. l. 11. *defendendum*, & l. 15. *suspendendum*, & lin. penultima *defensionis*. p. 13. l. 12. *solum*. p. 15. l. 4. *denegant*. p. 16, l. 8. *simile*. Quæst. 5. l. 2. lege *ejus*, & ibidem l. 4. *de*. p. 17. l. 15. in verbo fascinus, dele s. p. 19. l. 1. *hæc*. quæstione 7. l. 15. *de*. p. 20. l. 17. *falsis*, & l. 20. *ei*, & 21 *ordinis*. p. 21. l. 7. *subjecerunt*, & l. 9. *plurium*, & l. 17. *progressui*. p. 22. l. 10. *diffinitorii*. l. penultima *nominaret*. p. 23. l. 2. *exivi*. p. 24. l. 26. *efficiis*, adem l. lege *conformare*. p. 29. l. 3. *in ulla*, & l. 9. *Vicariam*. quæstione 8. l. 6. *nullum*, & l. ultima *refoverent*, p. 29. l. 2. *appellationi*. p. 30, l 2, *solum*, & l 13, *imponunt*, p 31, l 18, *ne*.

Circa Orthographiam, virgulas & puncta, innumera pæne irrepserunt errata, quæ benevolus & oculatus Lector, nullo negotio, corriget primo intuitu. Secunda Editio mendis purgabitur, hæc relicta fuit curæ imperiti Impressoris.

Narratio facti cum quæſitis inde elicitis, nec non plena juris de ſuper diſquiſitio, in cauſa Appellationis jam vertentis in curia Romana inter Reverendum Adm Patrem Franciſcum Coppingerum, Fratrum minorum ſtrictionis obſervantiæ Provinciæ Hiberniæ *vicarium Provincialem, & quendam Geanar, Chriſtianum nomen minime præ ſe ferentem in prætenſo ſuæ inſtitutionis decreto.*

IUre merito viſum eſt noſtro Rmo. Patre Generalis Ildefonſo Salizanes, adhibito judicio & conſilio graviorum ordinis & familiæ Patrum ex diverſis Hiſpaniarum partibus, & provincijs, caſſaſſet, irritaſſet & annullaſſet electiones Miniſtri Provincialis, Cuſtodis & diffinitorum capituli Provincialis *Dublinienſis* die 28 *July* 1666. ob plures ſubſtantiales juris defectus; inſtituere, nominare, & declarare vicarium Provincialem Provinciæ Hiberniæ, ſicut de facto inſtituit, nominavit & declaravit. Rdm. Adm. patrem Franciſcum Copingerum vicarium Provincialem

Provinciæ Hiberniæ, Provincialis vero, cuſtodis, & diffinitorum electiones, diſtulit uſq; ad Capitulum generale proxime futurum mandans in virtute ſpiritus Sancti, & ſub pæna excommunicationis majoris latæ ſententiæ, ipſo facto incurrendæ, privationisq; perpetuæ officiorum ordinis, & inhabilitatis ad ea omnibus ad quos ſpectat, ut ſic præfatum patrem a ſua R^ma. P^te. inſtitutum, univerſi & ſinguli Provinciæ Hiberniæ alumni, cujuſcumq; gradus aut qualitatis fuerint, velut ſuum legitimum ſuperiorem admittant, venerentur, reverentur, & ei firmiter obediant, quouſq; perſuam R^man. Paternitatem inſtituerentur, nominentur, & declarentur novus Provincialis, Cuſtos, & diffinitores in Capitulo generali, ut ſic de aſſenſu capituli ſtabiliretur, ſalutare regimen Provinciæ Hiberniæ, & hæc Copingeri inſtitutio in vicarium Provincialem, cum applauſu Patrum omnium in unum, ad hoc authoritate R^mi. per R^dm. Ad^m P. Franſciſcum Copingerum convocatorum, fuit lecta, publicata, & acceptata nemine prorſus diſcrepante.

Verum inſtinctu inimici hominis ſeminantis Zizania in medio tritici, aliquis quaſi ignotus nolens expectare determinationem R^mi in capitulo generali, & timens ne R^dus Ad^m. Pater Tirellus aut ullus in partibus Hiſpaniarum degens P^ræferatur Patri Geanor, aut ſuis conſortibus, clanculum inconſultis Copingero, & tota Provincia per malam informationem ab E^mo ordis protectore, ſurripiut decretum quo patentees R^mi, cum omnibus in eis contentis, & inde ſecutis, caſſantur, & irritantur, & pro caſſis & irritis, decernuntur, & declarantur, & ipſe Pater copingerus ab officio vicarij Provincialis amovetur & deſtituitur, & pro amoto & deſtituto habetur, & in vicarium Provincialem elegitur, nominatur, deputatur, & inſtituitur quidam Geanor in cuſtodem vero fr. *Jacobus Darcij*, in diffinitores autem Pres. Fres. *Antonius Dalaghan*, *Joan. Bradi*, *Jacobus Tully* & Eu-

Eugenius calananus per triennium in ſuis reſpectine officijs permanſuri a publicatione decreti, prout fuſius in copia decreti habetur, Quod quidem decretum redundare videtur in precidicium R^mi. & cæterorum patrum Ordinis & provinciarum, eo quod de corum conſilio, & judicio capitulum illud *Dublinienſe* declarevit nullum, & invalidum, & propterea vicarium Provincialem ad regendam & gubernandum Provinciam juxta Regulæ & conſtitutionum ordinis præſcriptum, inſtituit, & ſtatim tamen inconſultis generali, aliiſq; Patribus, eædem patentes, ut prætenditur caſſantur, irritantur, & amulantur, & pro caſſis & irritis habentur; idq; ad inſtantiam alicujus perturbatoris pacis, & quietis fratrum, nulla facta appellatione, & nullo agente miſſo a Provincia, *væ illi per quem ſcandalum venit.* R^dus Ad^m P. Copingerus etiam ſe notabiliter per illud decretum gravari ſentit, eo quod inaudita parte privetur ſuo officio, ſine ullis dementis, nec fuit citatus canonice, nec ullo modo admonitus, & multo minus convictus aut contumax, & licet ſupponat iſtud decretum, inſtitutionem R^di P. Copingeri non conducere tranquillitati Provinciæ neq; progreſſui in domino, contrarium tamen verius eſt, nam per illam inſtitutionem Copingeri in vicarium Provincialem, tota Provincia fuit in pace compoſita, nunc vero tota eſt inquieta, & in confuſione conſtitura, nam unus dicit ego ſum Pauli, ego Apollo, ego vero Cæphæ, ego Protectoris, ego generalis, ego alicujus Geanor, ego Petri geanor, ego Copingeri, alius dicit, ego ſub nullius redigar poteſtate, & hæc opinitonum diverſitas omnem in domino progreſſum emedio videtur auferre, & infandum jubet renovare dolorem, quem ameinſtia R^mi ſemel abſterſit, illud etiam decretum videtur contra jus Provinciæ Hiberniæ, transferendo ipſam a vicariatu in vicariatum, idq; ad triennium, cum potius amoto per fas aut nefas uno

vicario

vicario ſuccedere deberet Provincialis, & non alius vicarius duraturus per triennium. Per illud etiam decretum maxima toti Momoniæ totius Hiberniæ cæleberrimæ & fertiliſſimæ plagæ, in pijs viris devotis & doctis, fit injuria, quia nondum pro iſta vice habuit provincialem cum privilegiis ipſi debitis.

Per illud etiam decretum aperte violatur regula noſtra, quia per ipſum non minus gubernium ſpirituale, quam dominium temporale transfertur in quemdam patrem Geanor ejuſq; complices, ſunt enim verba decreti, *Temporaliter & ſpiritualiter*, in illo etiam decreto, non ſpecificatur nomen Chriſtianum Patris geanor, imo nec cognomen cum omnibus litteris, & quod deterius eſt, & ipſum irritat, eſt ibi vitium latinitatis ſi concordat cum copia nnica ad R.dum Adm P. Franciſcum Copingerum vicarium Provincialem miſſa, cui propterea jubemur non adhibere fidem, ex capite, *ad audientiam de reſcriptis*, quod etiam decretum illud, fuerit obtentum ſuppreſſa veritate, & ſuggeſta falſitate, & conſequenter ſubreptitie vel obreptitie, poſtea oſtendetur, hæc quantum ad decretum illud in ſe.

Nunc de abuſu inſtitutorum in illo prætenſo decreto. Pater Petrus geanor ſtatim ac recepit prætenſum illud decretum, cui nomen ejus Chriſtianum non inſeritur, forte juſto dei judicio, & propterea ab aliquibus quidam geanor nominatur. Privavit Guardianum *Dublinienſem* inauditum ſuo officio, non convocato prætenſo ſuo diffinitorio, & in ejus ſic amoti locum ſubſtituit R. P. *Thomam Thalbotum* remonſtrantiæ petri waleſi ſubſcriptorem & defenſorem, fratrem vero Rm Archiepiſcopi Dublinenſis P. Talboti, nondum exhibito, nec oſtenſo, originaliter & juridice prætenſo ſuo decreto, nulla copia miſſa ſui decreti, nec epiſtola ad vicarium Provinciæ, non petitis tunc ſigillis, regiſtris alijsq; inſtrumentis provinciam concernentibus a vicario provinciæ, congregationem poſtea cele-

celebravit in qua falso sigillo usus est, superiores locales, a suis locis per totam Provinciam Hiberniæ amovit, & minus sufficientes imo & inhabiles quosdam secundum statuta ordinis in eorum locis substituit, votum absentis ad effectum electionis supplevit, absentes tanquam præsentes, ad subscribendum invalidis suis actibus, finita illa prætensa congregatione induxit, Hæc, & his similia inconsulto vicario Provinciæ fecit, adquidem vicarium per quemdam ordinis apostatam nominatim, denuntiatum scripsit, quod in quodam loco ipsum convenire, ut prætensum suum decretum exhiberet, & congregationem celebraret, ipse tamen postea non comparuit in loco assignato, & quod longe deterius est, ipsius fautores minantur nobis carceres, patibulum, & exilium in longinquas partes. Et omnibus utriusq; sexus, inculcant ut vicarium provincialem ipsiq; adhærentes seu obedientes, nondum citatos nec denuntiatos per legitimos superiores tanquam excommunicatos, evitent; ordinarijsq; locorum persuadere conantur, ut fratres obedientes vicario Provinciali a mendicatione eleemosinæ deterreant, non obstante appellatione vicarij Provincialis Franc. Copingeri, bis terve interjecta. 1. Clonmeliæ coram patribus ibi congregatis, antequam ullam prorsus recepisset copiam istius prætensi decreti ex parte *P.* geanor, quod partem adversam minime latuit. 2. *Kilkenniæ* etiam coram patribus congregatis paucis diebus post receptionem istius copiæ & hæ duæ interpositæ sunt, nomine suo & omnium sibi adhærentium. 3. Cassiliæ eodem die quo exhibitum est duplicatum istius prætensi decreti, id est. 2. *Feb.* quæ ultima appellatio ad summum pontificem, exhibita fuit patri geanor, & parti adversæ. 10. *Feb.* & lecta publice, clare, & distincte coram eis, ipse tamen *P.* geanor postposita omni appellatione, prætensam suam jurisdictionem cum scandalo exercere conatur,

conatur, nam quidam prætenſi delegati cum plenitudine poteſtatis P.geanor injuſte, invalide,& ex falſis motivis quoſdam innocentes declararunt, & denuntiarunt excommunicatos, poſtpoſito juris ordine accidentali & eſſentiali,alij Patri geanor adhærentes violentas,& ſacrilegas manus injecerunt in Reverendum Admodum Patrem Franciſcum Copingerum, ac Provinciæ ſigillum nec non quædam inſtrumenta Provinciam concernentia, cum pauparis patris viatico, eripuerunt, faxit deus, ut nec ſacrilegorum, nec raptorum pæna plectantur, in ſcandalum ordinis & religionis Catholicæ, alij ejuſdem farinæ fratrem ſuum religioſum ad tribunalia ſecularia alterius religionis captinum duxerunt,vel duci permiſerunt per ſuum ſeruum domeſticum,cui uſque in preſentem diem,auxilium & favorem preſtant & peccata infamatoria, de quibus frater nunquam fuit convictus in judicio, imo nec juridice accuſatus contra ſuum fratrem revelant, diſſentiones in ordine, dimulgant extra ordinem in infamiam, & detrimentum ordinis, & licet hujuſmodi criminatores,ſint ut publici & maligni diffamatores,ipſo facto actibus legittimis,privati,per ſtatuta ordinis, ab incæptis tamen non deſiſtunt, nec diſiſtent, niſi inviti cogamur coram tribunali ſeculari,ad quod per ipſos provocamur,nos juſtificare, cum appellationem ad ſedem Romanam interpoſitam contemnant, ab hujuſmodi tribunali, ſicut ab omni lite,corde, & animo avertimur in rei veritate, *verum cum actori non liceat, quod reo licitum non exiſtat*, coram Cæſare,quem pars adverſa appellare minatur & appellat, ut aperte conſtat ex eorum litteris, verbis, & factis,cauſam noſtram ſalvo jure ordinis & religionis agere cogemur, cum ingenti animi noſtri dolore *cum quod non eſt licitum in lege neceſſitas faciat licitum*, Ratione hujus controverſiæ proponuntur quædam quæſtiones in quibus adverſæ partis prætenſa fundamenta penitus evertuntur.

Quæſtio 1.

Quæstio 1.

Utrum appellatio ſolius Copingeri ſuſpendat decretum eminentiſſimi Cardinalis protectoris cum principali negotio & acceſſorijs, ita non ſolus Copingeris, non incurrat Cenſuram latam per iſtud decretum, pendente appellatione, ſed nec ullus alius religioſus, licet non appellet.

Ratio hujus quæſtionis eſt, quia non ſolus Copingerus excommunicatur per illud decretum, ſi ſe gerat tanquam vicarius Provincialis, ſed etiam ſubditi, ſi ipſum velut talem agnoſcant. Quantum ad noſtram vero controverſiam, nulla eſt difficultas, nam in una appellatione, appellat nomine ſuo, & omnium ſibi adhærentium, quod quidem ſufficit, nam a Patribus Momoniæ ipſe & P. *Thomas Haroldus* habent procuratorium pro defendo jure Momoniæ coram ipſis ad quos ſpectat diviſim, & conjunctim.

Reſpondeo igitur quæſtioni, quod ſufficeret appellatio interpoſita a ſolo Copingero, nomine ſuo, & non aliorum, ad ſuſpendum iſtud decretum, cum principali negotio, & acceſſorijs: ita ut nullus alius religioſus incurrat cenſuram latam per iſtud decretum, agnoſcendo Copingerum vicarium Provincialem; an vero incurrat excommunicationem majorem, latam ipſo facto per generalem totius ordinis Minorum contra inobedientes Copingero, videbitur poſtea.

Probatur 1. Reſponſio exipſomet jure Canonico, nam quando, eſt idem jus commune, idemq; negotium, eademq; defenſionis cauſa, victoria unius appallantis prodeſt omnibus, ſed in noſtro propoſito, eſt idem jus commune ordinis, idem negotium ſtatutorum, & regulæ, eademq; defenſionis cauſa, ſcilicet pro conſervando jure Provinciæ & præſertim Momoniæ, ut patet ex

pro-

proceſſu noſtro verbali, victoria unius appellantis prodeſt omnibus gravatis ſecundum eandem ſententiam. Major patet ex cap. una, de appell. his verbis, *una ſententia e pluribus condemnatis, ſi unus ſolus ad appellationis beneficium convolaverit illius victoria jure comuni cæteris ſuffragatur, ſi jure comuni juventur, idem negotium, & eadem cauſa defenſionis exiſtat.* Hæc eadem verba reperiuntur in inſtitu juris canon. lib. 3. tit. 17. legatur. 11. q. 6. c. 41. (.) quandoq; ex gratian his verbis.

Quandoq; unam & eandem plures ſimul condemnationem recipiunt, nec diverſitas factorum ſeparationem accipit, quo caſu ſi omnes appellaverint, & uno ex his agente eorum appellatio juſta pronuntiata fuerit, emolumentum victoriæ etiam ad alios pertinebit; ſi autem unus tantum appellavit ejuſq; appellato juſta pronuntiata eſt, ciq; quoq; prodeſt qui non appellavit.

Probatur 2. eadem reſponſio quia pendente appellatione ad ſummum Pontificem, nihil debet innovari *ex cap. delictis* de appell, etſi aliquid innovetur debet revocari *ex capite non ſolum de appell. in 6.* ſed ſi ſubditi Copingeri non agnoſcerent ipſum velut ſuum legittimum ſuperiorem inſtitutum a Reverentiſſimo Patre Generali, & acceptatum a tota Provincia, nemine contradicente, tunc fieret maxima innovatio in præjudicum Copingeri appellantis, quia controverſia eſt de juriſdictione, ergo vel iſta renovatio, non debet fieri, vel ſi fiat, debet revocari ante omnia, vel illa capitula juris canon. Sunt falſa, quod abſit.

Probatur 3. Reſponſio argumento gloſſatoris in cap. dilectis de appellationibus his verbis. *Pendente appellatione executio non debet fieri, & ſi fiat invito poſſeſſore, reſtitui debet in priſtinum ſtatum antequam appellationis cauſa examinetur,* ſed ſi ſubditi Copingeri, non agnoſcerent Copingerum tanquam ſuum legettimum ſuperiorem, ſicut hactenus agnoverunt, tunc fieret

fiat executio decreti, Cardinalis in damnum appellantis ipso invito: ergo ſecundum argumentum gloſſatoris, & jus quod citat id non debet fieri, vel ſi fiat, deberet reſtitui Copingerus, in priſtinum ſtatum anteqnam appellationis cauſa examinetur.

Probatur 4. Ex cap. dilectis de appell. in quo habetur, quod ſi adverſarius appellantis pendente appellatione inducatur, in poſſeſſionem rerum de quibus controvertitur, quod eadem poſſeſſio reſtituatur appellanti, ſed ſi ſubditi Copingeri agnoſcerent patrem Geanor, velut ſuum legitimum ſuperiorem, & non Copingerum, tunc inducerent adverſarium Copingeri appellantis, in poſſeſſiones rerum de quibus controvertitur, ergo tenerentur ad reſtitutionem Copingero ex his ſequntur, 3ª quorum primum eſt, quod ſi quis non agnoſceret Copingerum velut ſuum legitimum ſuperiorem, non reſpiceret ad mentem legiſtatoris. 2ᵐ. nec poteſt id facere niſi peccando contra legem. 3ᵐ nec abſq; dolo.

Primum patet, ſcilicet quod non reſpiceret ad mentem legislatoris, quia vult quod pendente appellatione nihil innovetur, ergo qui aliquid innovaret, non reſpiceret ad mentum legiſlatoris, nec ipſam obſervaret. Hinc patet ſecundum, ſcilicet quod peccaret contra legem: nam ex regulis juris in 6. *certum eſt, quod is in legem committit qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem.* 3ᵐ *etiam* patet ſcilicet quod fieret cum dolo ex reg. juris in 6. reg. 59. *dolo facit, qui petit quod reſtituere oportet eundem*, ſed ex argumento gloſſatoris in cap. venientes de jure jurando, & colligitur ex varijs capitibus juris canon. Ut viſum eſt ſupra, ſi adverſarius appellantis inducatur in poſſeſſionem rerum de quibus controvertitur, interpoſita appellatione, eadem poſſeſſio deberet reſtitui appellanti, ergo dolo faceret qui id peteret, aut induceret adverſarium in iſtam poſſeſſionem, quam poſtea oportet reſtituere,

ſi ergo non poteſt fieri talis innovatio niſi contra mentem legis, & non niſi committendo ſeu peccando in legem, & non abſq; dolo, ut patet ex reg. citatis, quomodo tuta conſcientia poteſt ullus, poſt interpoſitam appellationem, Copingeri, aliquid innovare ſub prætextu quod incideret in cenſuram, agnoſcendo Copingerum velut ſuum legitimum ſuperiorem? nonne utentes hac frivola ratione reddunt hominem perplexum? nam, inquiunt agnoſcens Copingerum velut ſuum ſuperiorem, erit excommunicatus; & ut evidenter deducitur ex jure Canon. Innovans aliquid in præjudicium appellantis, erit doloſus legis prævaricatur, & ſic quicquid fecerit, ſervus erit inutilis, & quod deterius eſt graviter peccabit, (quod deus avertat) ut igitur quilibet ſit ſecurus & tutus, ſciat, quod dicit reg. 39. *juris in 6 cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ ſequuntur ex illo*; ſed prohibetur Innovatio, & executio illius ſententiæ, vel decreti poſt interpoſitam appellationem ergo juxta illam reg. prohibentur omnia quæ ſequerentur ex illa Innovatone, & executione, hoc autem ſequeretur quod agnoſceremus Patrem Geanor, & non Copingerum ergo hoc prohibetur per iſtam reg. Ecce aſſigno aliam reg. in 6. *Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti*, reg. 84. ſed prohibetur Patri Geanor juriſdictio, innovando ſeu exequendo aliquid poſt interpoſitam appellationem, ergo ad illam juriſdictionem alia via non debet admitti, nec conſequenter poteſt ſubtrahere ſubditos a juriſdictione Copingeri.

Ex his evidenter ſequitur, nullum fratrem in cenſuram Emi. Cardinis protectoris incidere, eo quod agnoſcat Rdum Admi P. Fr. Franciſcum Copingerum ſuum legitimum ſuperiorem; quia cenſura, præſertim excommunicationis, non incurritur niſi propter peccatum mortale, cum quo concomitatur contumacia, ſed agnoſcens Copingerum, nullo modo peccaret in hoc,

Imo

Imo non agnoſcens peccaret, ergo nullam cenſuram poteſt contrahere.

Jura aliqua decernentia non ſufficere appellationem unius, pro pluribus, loquntur in caſu quo non eſſet idem jus, nec idem negotium, nec eadem defenſionis cauſa, & in caſu quo nulla eſſet innovatio in præjudicium appellantis, nec executio ſententiæ a qua appellatur, vel in caſu quo unus non eſſet procurator aut ſuperior alterius. Non ſic autem in noſtro negotio vel propoſito, quia eſt idem jus defendendi regulam, quam profeſſi ſumus, quæ aperte violatur, per illud decretum, dando inſtitutis adminiſtrationem ſeu dominium temporale. Eſt etiam idem negotium, & eadem defenſionis cauſa, ſive pro ſola Momonia, ſive pro tota Provincia, non ſolam propter regulam, ſed etiam propter ſtatuta, & ad viſiſſitudinem ſervandam inter plagas cum privilegijs annexis : gloſſ. in cap. una de appell. ponit hunc caſum, ſi tres erant tutores habentes admiuiſtrationem indiviſam quam gerunt, ſi condemnentur, & unus appellet, & obtineat, cæteris prodeſt, quia idem eſt negotium commune, & eadem defenſionis cauſa.

Queſtio. 2.

An inobedientes Copingero poſt interpoſitam appellationem incurrant ipſo facto excommunicationem latæ ſententiæ, & priventur perpetuo officijs ordinis & inhabiles fiant ad illa? ratio hujus quæſtionis eſt, quia R^mus Pater generalis totius ordinis Minorum mandavit in virtute ſpiritus ſancti, & ſub pæna excommunicationis majoris latæ ſententiæ, ipſo facto incurrendæ, privationiſq; perpetuæ officiorum ordinis & inhabilitatis ad illa, omnibus ad quos ſpectat ut P. Fran. Copingerum inſtitutum a ſua R^ma P^te vicarium Provincialem univerſi, & ſin-

guli Provinciæ alumni, cujuſcumq; gradus vel qualitatis fuerint, velut ſuum legitimum ſuperiorem admittant, venerentur, reverentur, & ei firmiter obediant quouſq; per ſuam R^mam P^tem inſtituantur, nominentur & declarentur novus Provincialis, cuſtos, & diffinitores &c.

Licet hæc Copingeri inſtitutio fuerit annullata. Per protectorem ordinis, tamen quia P. Fran. Copingerus appellavit a Protectore & ſuo decreto, cum omnibus in eo contentis, & inde ſecutis, & jura prohibent ne poſt interpoſitam appellationem, aliquid innovetur, neve adverſarius appellantis inducatur in poſſeſſionem rerum de quibus controvertitur, & ſi inducatur, quod poſſeſſio debet reſtitui appellanti, antequam appellationis cauſa examinetur; & inſuper quod P. Copingerus fuit a tota Provincia juxta mandatum generalis acceptatus, nemine contradicente, & conſequenter quod ipſi pendente ſua appellatione debetur juriſdictio, videtur inde evidenter ſequi, iſtos omnes reſiſtere præcepto generalis in ſpiritu ſancto, poſito, & incidere in excommunicationem majorem latæ ſententiæ, aliaſq; pœnas in literis patentibus generalis contentas, & ſic incidunt in foveam quam fecerunt, incidunt etiam in alias pœnas latas per canones contra attentatorum reos innovanteſq; aliquid pendente appellatione ad ſummum Pontificem, nec illi deferentes, de quibus pœnis alibi.

Queſtio 3.

An omnes conventus & ſubditi quos P. geanor virtute iſtius prætenſi decreti Cardinalis protectoris ſubtraxit ab obedientia & juriſdictione P. Copingeri ſint eidem Copingero reſtituendi, antequam, lis eorum per judicem ad quem appellationis deciatur.

Reſpondeo affirmative, & patet *ex cap. venientes de jure jurando* in quo ſummus Pontifex Innocentius 3. Conſulibus

&

& populo Tudertino, mandat duo, quorum primum eſt, quod appellationibus ad ſe interpoſitis humiliter & devote deferant, & dat rationem hujus, quia etiam leges ſæculares poſt ſententiam, beneficium appellationis non denegotiat gravatis, & conſequenter quod multo minus leges Eccleſiaſticæ id debeant denegare, & licet conſules illi ſe juramento, ſeu proprio Sacramento firmarent, quod juxta civitatis conſuetudinem, judicarent & intra 28. dies quod judicarent, exequerentur, dicit tamen Pontifex quod prædictum juramentum, eos excuſare non poteſt, in quo deberet intelligi jus ſuperioris exceptum, & propterea quod deferant appellationibus ad ſe inter poſitis.

2m. quod mandat ſumus Pontifex, eſt, quandoquidem ſententiam a qua gravatus appellavit, executioni mandaverint, non obſtante appellatione, inducentes adverſarium appellantis in poſſeſſionem rerum de quibus quæſtio vertebatur, quod eandem poſſeſſionem eidem appellanti reſtituant, alioquin ſub cenſura Eccleſiaſtica compellerentur.

Caſus Fr. Copingeri cum Emo Cardinali protectore non poteſt melius ad vivum delineari quam per illud cap. nam a Cardinali protectore bis terve appellavit, & hoc non obſtante P. Geanor ejuſq; ſequaces ſententiam ſeu decretum Card. protectoris executioni mandant & mandarunt, ita quod Pater Copingerus pluribus ſuis conventibus, & ſubditis per totam Hiberniam fit ſpoliatus, unde ſecundum tenorem iſtius cap. & conſuetudinem utriuſq; juris, debet P. Copingerus reſtitui in priſtinum ſtatum, antequam appellationis cauſa examinetur: ut expreſſe aſſerit gloſſa in cap. venientes his verbis, *pendente appellatione executio non debet fieri, & ſi fiat invito poſſeſſore reſtitui debet in priſtinum ſtatum, antequam appellationis cauſa examinetur*; & idem dicit in cap. dilectis filijs de appell. in quo cap. ſcilicet dilectis aſſerit ſummus Pontifex duo: quorum

rum unum eſt, quod non ſolum principale negotium, ſed etiam acceſſoria ad ipſius referuntur examen, alterum quod appellatione ad ipſum interpoſita, nihil debet innovari.

Ex his duabus propoſitionibus juris Canonici, ſic ratiocinari licet, nihil eſt in decreto illo protectoris niſi principale, id eſt præceptum de parendo P. Geanor tanquam vicario Provinciali, & non Copingero, vel acceſſoria, id eſt pœnæ inflictæ non obtemperantibus ſecundum decreti tenorem, vel quid ſcilicet, ſed principale negotium, & acceſſoria, omnia referuntur ad examen ſummi Pontificis per appellationem ad ipſum interpoſitam & pendente iſta appellatione, nihil debet innovari, ergo neq; generalis neq; protector, neq; ullus alius inferior ſummo Pontifice poteſt exequi decretum illud Card. neq; inducere partem adverſam in poſſeſſionem conventuum P. Copingeri, & ſi in juduceret, teneretur reſtituere poſſeſſionem conventuum, & ſubditorum Copingero appellati.

Queſtio 4.

Quid dicendum de ipſis, qui non reſtituunt poſſeſſionem appellanti, ſicut P. Geanor & ejus ſequaces, non reſtituunt Copingero, ut tenentur ſecundum Canones? Reſpondeo ipſos ſecundum Canones compellendos eſſe per cenſuras Eccleſiaſticas ut patet ex cap. venientes de jure jurando.

Queſtio 5.

Quænam eſt pœna eorum qui non deferunt appellationi interpoſitæ ad ſummum Pontificem, ſicut P. Geanor, cujuſq; ſequaces ſeu fautores non deferunt appellationi P. Copingeri? Reſpondeo ſecundum gloſſ. cap. priore de appell. ſi ſit clericus

quod

quod debet deponi, ſi vero laicus in 3ª. pondo auri mulctatur, quantum vero ad clericum, ab officio cleri ſubmotus, authoritatis Apoſtolicæ reus debet judicari, quod patet. 2. q. 6. c. decreta (.) nihil, his verbis, *nihil prius de eo qui ad ſinum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ confugerit, & ejus implorat auxilium decernatur, quam ab ejuſdem Eccleſiæ authoritate fuerit præceptum, quæ vices ſuas ita aliis impertivit Eccleſijs, ut in partem ſint vocatæ ſollicitudinis non in plenitudinem poteſtatis. Si autem (quod non arbitramur) a quocumq; ſecus præſumptum fuerit, ab officio cleri ſub motus authoritatis Apoſtolicæ reus judicetur, ne lupi qui ſub ſpecie omnium ſubintraverunt, beſtiali ſænitia quoſdam audeant lacerare, & quod ſibi fieri nolunt, alijs inferre præſumant.* Reſpondeo 2. quod compelluntur adire ſedem Apoſtoliam pro tanto exceſſu ſatisfacturi *ex cap. de priore* ſupra citato.

Hic adijcere poſſum, quas pænas merentur divulgantes publice ſive privatim, falſas vel ſaltem invalidas, & non a ſuo judice latas cenſuras, nec ipſi ſolum, ſed ipſis directe vel indirecte patrocinantes, quia tales non ſolum contra apices juris, ſed etiam contra ſubſtantiam juris invalide procedunt, & etiam malitioſe, *nam acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis & venenum aſpidum, ſub labijs eorum:* verum hæc omnia in aliud tempus magis opportunum differo. Interim ſciant quod ſcribitur in cap. non in impertuum. 24. q. 3. his verbis, *Multi ſacerdotum culpam Dei zelo perſequi profitentur, ſed dum indiſcrete agitur ſacrilegij faſcinus incurrunt, & dum præcipites quaſi ad emendandum ruunt, ipſi quoq; multo magis deterius cadunt.* Et cap. Ira. 11. q. 3. his verbis, *dum juſto amplius Iraſcimur, & volumus aliena coarcere peccata, graviora committimus,* & cap. *illud ibidem, ſi quis fidelium fuerit Anathematizatus, injuſte, potius ei oberit qui fecit, quam qui hanc patitur injuriam,* & paulo infra dicitur, *quod maledictum fruſtra illatum, venit ſuperum qui miſit.*

miſit illud &c. unde qui talia agunt digni ſunt morte & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Ad Romanos. 1.

Quæſtio 6.

An ſit fides adhibenda litteris Apoſtolicis quæ in conſtructione peccant, per in congruam ſeu falſam latinitatem. Reſpondeo negative : ex cap. ad audientiam de præſcriptis his verbis, (*quibus*, inquit, loquens de litteris Apoſtolicis) *quia manifeſtum continent in conſtructione peccatum, fidem te nolumus adhibere*, gloſſ. in illud cap. ait aliud eſſe in teſtamentis,& aliud in litteris Papæ, teſtamentum enim comittitur tabelloni, cujus ſcripturam ſive latinum, nullus corrigit, unde falſa latinitas non vitiat teſtamenta, dummodo conſtet de voluntate teſtantis, ſed reſcriptum Domini Papæ per multas manus tranſit, & magna maturitate decoquitur, unde contra illam præſumptionem, non eſt adhibenda probatio.

Hoc etiam patet ex cap. Apoſtolicæ. 35. q. 9. his verbis, *Apoſtolicæ ſedis ſententia tanta ſemper conſilij moderatione concipitur, tanta patientia & maturitate decoquitur, tantaq; deliberationis gratia profertur, ut nec immutari neceſſum ducat &c. gloſſ.* in illud cap. aſſerit quod vitioſa dicentur ſcripta Apoſtolica, ſi in eis fuerit falſum latinum,& quod non eſt veriſimile cum in tot manibus decoquantur,quod in eis ſit aliquid reprehenſibile , Ad noſtrum ergo propoſitum, ſi illud decretum Cardinalis protectoris authoritate ſummi Pontificis, & ſacræ congregationis, cum tanta conſilij moderatione conciperetur, cum tanta prudentia, & maturitate decoqueretur, tantaq; deliberationis gratia proferetur, quomodo eſſet ibi aliquid reprehenſibile,aut in conſtructione gramatica peccaret, ſicut de facto

facto peccat ut intuenti patet legendo hac verba ejuſdem decreti *ſeu per quarum tenorem, hic pro exppeſſo haberi volumus*, quæ verba nemo in lingua latina peritus dubitat eſſe vitioſa, vel ſi non ſint eadem verba, non verum teſtimonium perhibuerunt de concordantia copiæ cum originali, nec conſequenter Copingerus recepit ad huc veram copiam iſtius originalis quomodo omiſſum fuiſſet ibi nomen Chriſtianum P. Geanor quidquid ſit, jubemur illi non adhibere fidem.

Quæſtio 7.

An ſit fides adhibenda litteris ſubreptitijs etiam Apoſtolicis, & an decretum Cardinalis Barbarini in favorem Patris Geanor, ſit ſubreptitium & admittendum? Reſpondeo quod nemo tenetur, Imo nec ullus tuta conſcientia, poteſt adhibere fidem, Bullis, Brevibus aut decretis ſubreptitijs, etiam a ſummo Pontifice emanatis, & multo minus decreto alicujus Cardinalis, ſi enim admitterentur ad nutum hujuſmodi Brevia, aut decreta ſubreptitia, tunc poteſtas data Eccleſiæ non magis eſſet in ædificationem quam in deſtructionem, nec magis diceretur Eccleſia ædificari ſuper petram quam ſuper arenam, nec magis fundari in veritate quam in falſitate, quod penitus noſtram perverteret fidem: Hoc patet ex cap. cum dilecta de reſcripti, ubi Summus Pontifex loquens de litteris per ſurreptionem obtentis, irritandum ducit quod ipſarum litterarum occaſione dignoſcitur attentatum, & cap. falſidicus te crimine falſi, dicit quod *uterq; reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia & ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat* & cap. quod ſuper his de fide inſtrumentorum his verbis, *unde ſi tales per ſuppreſſionem veritatis & falſitatis expreſſionem, litteras non ſolum Cardinalium ſed & noſtras, non ſolum dubias, ſed & cer-*

tas constiterit impetrasse carere, volumus impetratis, & eis non obstantibus ad voti executionem compelli. Unde Conc. Trident. ita execratur quamlibet gratiam subreptitie obtentam, ut nullam prorsus velit admittere, ut patet ex eo quod potius admitteret diminutionem pœnæ quam ullam aliam, cum pœnæ sint restringendæ & favores ampliandi; & Ecclesia sit mater misericordiæ, & refugium peccatorum. Hanc tamen non vult admittere, ut patet ex Sess. 13. cap. his verbis, *ipsam gratiam, postquam per falsi narrationem, aut veri taciturnitatem obtentam esse legitime constiterit*, non admittat. Hæc Trident, cum quo concordant statuta nostri ordinis. c. 6. (.) 23. his verbis, *Insuper sacri Concilij authoritatem secuti, statuimus, & decernimus, ut si quis per surreptionem, aut obreptionem, absolutionem vel remissionem pœnarum sibi inflictarum vel infligendarum extorserit, Provincialis ad quem spectat de surreptione vel obreptione absolutionis vel remissionis hujusmodi per se ipsum summarie recognoscat, & si falsis præcibus impetratam repererit, aut per falsi narrationem, aut veri subticentiam obtentam esse legitime constiterit, eam suspendat quousq; superiore admonito ac informato desuper ab eo fuerit provisum pro ut in magis expedire videbitur in domino hæc statuta ordiis generalia.*

Hoc igitur supposito quod nulla gratia subreptitie vel obreptitie impetrata, tacendo scilicet veritatem, vel asserendo falsitatem, vel ut Trident verbis utar, per falsi narrationem. aut veri taciturnitatem sit admittenda, saltem nisi prius admonito & informato superiore, sequitur evidenter decretum illud Cardinalis protectoris in favorem P. Geanor, non esse admittendum tuta conscientia, si per falsi narrationem aut veri taciturnitatem fuerit obtentum, quod autem sic obtentum fuerit, efficaciter demonstratur multipliciter 1. per falsi narrationem.

1. Falsi narratio sit, nam ut patet ex tenore decreti persua-

sum

ſum fuit protectori quod inſtitutio Copingeri in vicarium Provincialem per R^m. P. Generalem totius Ordinis non conduceret tranquilitati Provinciæ, quod manifeſte falſum eſt: nam tota Provincia ſtatim ac lecta, & publicata eſt præfata Copingeri inſtitutio, fuit in pace compoſita, nemine contradicente, & illi qui per biennium adminus, refractarij videbantur, obedientiæ jugo colla ſubiecjerunt, nunc vero per illud decretum, tota eſt in confuſione, & quaſi turris Babilonica, non ſine magno plurius utriuſq; ſexus, etiam eorum qui foris ſunt ſcandalo, & quidam adverſæ partis nolentes deferre appellationi ad ſupremum Eccleſiæ paſtorem, per fas aut nefas prætenſam ſuam juriſdictionem executioni demandare ſatagunt, nec hoc ſolum, ſed patibulum & exilium in longinquas partes eorum fautores minantur, hæccine tranquillitas eſt magna, an potius magna tempeſtas?

2. Falſi narratio eſt, quod non conducat præfata inſtitutio Copingeri progreſſivi in Domino, quod etiam manifeſte falſum eſt; quia progreſſus in Domino, quantum ad prælatum, impeditur, vel per negligentiam prælati, vel per ejus malum exemplum, quantum ad diligentiam & vigilantiam Copingeri circa ſuum ovile nemo viventium recordatur, quod duo Provinciales ſucceſſive viſitaverint totam Hiberniam ſingulis annis ſicut P. Copingerus, quantum ad bonum exemplum, nemo ni fallor, bonæ conſcientiæ id vocabit in dubium, vita ejus coram hominibus, in quantum humana fert infirmitas, eſt irreprehenſibilis; non novi duos ex adverſa parte, qui regulam in ſuo rigore ſtrictius obſervent, quam P. Copingerus, pro ut temporum patitur injuria.

3. Falſi narratio eſt, ut ex adverſæ partis diſcurſu colligitur, quod omnes ſuos fratres cogebat ad ſubſcribendum Proteſtationi ſeu remonſtrantiæ P. Petri valeſij, quod falſum eſt,

ut patebit exſequenti inſtrumento poſt quartam falſitatem.

4. Falſi narratio eſt, quod pecunias per fas aut nefas exigebat etiam ſubpæna excommunicationis pro P. *Taafe*, hæc & præcedens narratio demonſtratur falſa ex teſtimonio Patrum qui ſubſcripſerunt ſequenti inſtrumento, quod ſic habetur.

Nos infraſcripti tenore præſentium teſtamur cuilibet ad quem ſpectabit, quod R^dus Ad^m P. Franciſcus Copingerus Provinciæ noſtræ Hiberniæ vicarius Provincialis, fuerit nominatus in Comiſſarium Provincialem noſtræ Provinciæ ſponte & libere, totius tam diffinitoris quam diſcretorij communi conſenſu in cap. Dub. celebrato. Item atteſtamur quod præfatus R. P. Copingerus inſtitutus a P. *Taafe* tunc prætenſo vicario Apoſtolico, viſitator in Comit. de *Corke*, *Limerike* & *Kieri*, non ſolum non exegerit ullam prorſus pecuniæ ſummam, ſed nec ejus mentionem fecerit, prout communi relatione refertur, & ipſe præfatus P. vicarius coram nobis depoſuit. Item quod præfatus. R^dus Ad^m P. vicarius toto ſuo tempore tam Comiſſariatus quam vicariatus nullum prorſus ad ſubſcribendum Remonſtrantiæ quæ vulgo dicitur valeſij coegerit; imo nec ejus apud ullum mentionem fecerit qua ad ſubſcribendum alliceretur, datum in conventu noſtro Caſſelenſi. 13. Jan. 1669. Nomina patrum qui ſubſcripſerunt huic teſtimonio habentur in originali. Quantum ad multiplicem veri taciturnitatem.

1. Veri taciturnitas eſt, quod non expoſuit pars adverſa protectori, qualiter generalis totius ordinis ſcripſit ad Provinciam Hiberniæ quatenus Patres congregati iſtius Provinciæ proponerent ipſi fratres idoneos & habiles, quos ipſe in Capitulo generali Pentecoſt nominarent in Provincialem, cuſtodem, & diffinitores ad quem ex certa, manifeſta & rationabili cauſa

ſpectat

ſpectat de jure ex declaratione Clem. 5. in Concilio vienenſi ut patet ex clementina, exivit de paradiſo

2. Veri taciturnitas eſt, qualiter fratres minores ſtrict. obſerv. ſunt incapaces dominij, ſeu gubernij temporalis, ut patet ex declaratione Nicholai. 3. c. exijt qui ſeminat, cujus contrarium conceditur, contra mentem Cardinalis & ſummi Pontificis, & Concilij Trident, per iſta verba *temporaliter & ſpiritualiter* in prætenſo illo decreto inſerta.

3. Veri taciturnitas eſt, quia tacuerunt quod Pater Copingerus bona fide agnovit commiſſionem falſam & fictam Patris *Taaffe*, ſicut & tota Hibernia ob teſtimonium illus^mi ac Re^mi domini Patricij plunket Epiſcopi Medenſis, & plurium notariorum Apoſtolicorum, & ob debitam reverentiam erga ſedem Apoſtolicam, & hæc veri taciturnitas proculdubio multum contulit ad deponendum Copingerum, & impetrandum illud decretum, quod minime emanaſſet, ſi res fuiſſet bene expoſita, ut liquido conſtar ex epiſtola E^mi Cardinis Barbarini ad Epiſcopum medenſem, laudat enim Cardinis Epiſcopum ob ſuam paſtoralem ſollicitudinem, & curam in cauſa. P. *Taaffe* quia nimirum bona fide ipſum recepit, & de concordantia tranſumpti teſtimonium, perhibuit & eadem fide, cognita rei veritate, pœnitentia ductus rejecit Patrem *Taaffe* & propterea Epiſcopatum Medenſem conſecutus eſt juxta promiſſum Cardinalis, ſed profecto Copingerus eadem fide qua Epiſcopus Medenſis utrumq; fecit, nam bona fide recepit, & rejecit P^m. *Taaffe*. Cur igitur Copingerus a ſuo amoveretur officio, & R^mus. ille Epiſcopus cujus monitis, teſtimonio, & litteris miſſivis receptus eſt P. *Taaffe* per totam Hiberniam novo cumularetur beneficio? Huic rationi nemo poteſt ſatisfacere, niſi tacendo veritatem, vel aſſerendo falſitatem.

4. Veri taciturnitas, quia tacuerunt Copingerum ſubſcri-

ſcripſiſſe ſoli proteſtationi fidelitatis erga Regem in ſolis temporalibus, & non libris P. Petri valeſij, nec P. Caroni, idq; ad evitandum majus periculum, ne ſcilicet cogeretur ad ſubſcribendum alijs articulis minus tutis, ſicut fecerunt quidam ex patribus noviter inſtitutis per decretum illud Cardinalis, Imo & clerus Hiberniæ quando recepit articulos Pariſienſes.

5. Veri taciturnitas, quia tacuerunt ipſum non ſubſcripſiſſe ulli proteſtationi aut remonſtrantiæ, niſi cum ſumma humilitate ſubmittendi ſe pedibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ juxta tenorem ſuæ Regulæ.

6. Veri taciturnitas quia tacuerunt quoſdam inſtitutos per illud decretum fuiſſe non ſolum ſubdelegatos, ſed etiam confeſſarios vel ſecretarios P. *Taaffe*, & conſequenter magis intimos ſuo ſecreto, vel ſubſcripſiſſe eque bene ac Copingerum proteſtationi fidelitatis erga Regem in ſolis temporalibus, vel alijs articulis minus ſanis & tutis ſicut & clerus Hiberniæ.

7. Veri taciturnitas, quia tacuerunt quoſdam inſtitutos per illud decretum eſſe inhabiles ad officia ordinis, eo quod in victu & veſtitu juxta rigorem Regulæ ſe alijs conformare nequeant, & in omnibus, vitam communem ſine diſpenſatione ducere; prænimia infirmitate vel debilitate complexionis, cum non conſtet an duo tantum ex ipſis jejunent adventum regulæ, ad quod ſub mortali tenentur, niſi tempore manifeſtæ neceſſitatis hoc patet ex verbis ſtatutorum. c. 7. (.) 2. his verbis. *Item ad prædicta officia elegendi debent reg. B. P. N. Franciſci obſervare & illam cum conſtitutionibus ſcire, & in noſtro victu, et veſtitu quantum officiis neceſſitas conceſſerit, cum alijs ſe conformare, et tandem in omnibus vitam communem ſine diſpenſatione ducere, alias inhabiles cenſeantur etiam ex Apoſtolicis decretis.*

8. Veri taciturnitas, quia tacuerunt injuriam quæ fieret Momoniæ,

moniæ privando ipſam jure ſeu privilegio paternitatis Provinciæ, & quod in Momonia, cui fit in juria plures ſunt Patres benemeriti quam nulla plaga totius Hiberniæ.

9. Veri taciturnitas quia tacuerunt quod Momonia cui fit iſta injuria, ſit magis immunis ab omnibus proteſtationibus & remonſtrantijs quæ offenderet Romanas aures quam plaga P. Geanor, in cujus favorem fit injuria Momoniæ.

10. Veri taciturnitas quia tacuerunt injuriam quæ fieret toti Provinciæ transferendo ipſam de vicariali in vicariatum, idque ad triennium, quod inſolitum & inauditum eſt in ordine noſtro.

Quæſtio 8.

Quænam eſt pena eorum qui ut ſopitas poſſint ſuſcitare quærelas, & novas immittere Quæſtiones, fingunt cauſas ſuper quibus a ſede Apoſtolica, litteras impetrant abſq; dominorum mandato, hoc eſt abſq; procuratione ab illo cujus intereſt, vel a ſuperiore? Reſpondeo. 1. ex cap. ſuper litteris de reſcriptis quod nullam commodum ex ſuis litteris conſequuntur & ex cap. Quia non nulli, eod. tit. quod earundem litterarum commodo carent, & in expenſis & damnis condemnantur. Reſpondeo 2. ex cap. non nulli eod. (.) ſunt & alij, quod litteræ ſic impetratæ non valent, & qui eas impetravit tanquam falſarius punitur, ex Conc. generali, vide deſuper illud cap. his verbis, *cum lites reſtingindæ ſint potius quam laxandæ hac generali conſtitutione ſancimus ſi aliquis ſuper aliquâ Quæſtione de cætero ſine ſpeciali mandato Domini litteras Apoſtolicas impetrare preſumpſerit, & illæ litteræ non valeant, & ipſe tanquam falſarius Puniatur*, hinc patet quam pœnam merentur illi qui ut ſopitas jam quærelas, per patentes noſtri generalis, in hac provincia unanimi omnium conſenſu acceptatas, refoveret, & ut lites

ſentiones

ſentiones controverſias & diſcordias jam penitus extirpatas (omnibus patribus preſertim vero Patre Petro valeſio veniam ab invicem flagitantibus & condonantibus ; libellis etiam controverſiaram, de mandato R^mi noſtri generalis & conſenſu Provinciæ patrum præcipue dicti Petri valeſi cum ſumma Provinciæ gratulatione igni Traditis) moverent in Provincia, dum ſumma frueretur pace, finxerunt cauſas q. 7. ſupra ſpecificatas, quibus impetraverunt illud decretum abſq; mandato illius cujus interrerat ut ſuperioris Provincialis, aut ipſius met generalis, nam de jure communi ut falſarij puniuntur.

Quæſtio 9.

An poſſit appellari pro levi materia? Reſpondeo de jure Communi id poſſe fieri, & deferendum eſſe tali appellationi ex cap. de appellationibus tit de appell. his verbis, *de appellationibus pro cauſis minimis interpoſitis volumus, te tenere, & quod eis pro quacumq; levi cauſa fiant non minus eſt quam ſi pro maximis fierent deferendum.* Rationes hujus dat gloſſa quia ita poteſt gravari quis in parvo ſicut in magno, & quantitas cauſæ non facit quare introducta ſit appellatio, ſed iniquum gravamen, hinc patet appellationem Patris Copingeri ob varias rationes in preceſſu noſtro verbali & q. 7. videndas, eſſe juſtam, & non frivolam: ut non nulli adverſæ partis falſo aſſerunt, qui ſub hoc protexu omnes etiam juſtiſſimas fruſtrarent, appellationes, & mirum in modum aggravarent, & alligarent onera gravia & importabilia, & imponerent ſuper humeros hominum, digito autem ſuo ea non moverent ; & jus naturæ violarent, præcludendo viam appellationi, que eſt ſpecies quædam defenſionis, & defenſio ſit de jure naturæ. Imo & jus naturale

turale divinum, dum quod ſibi fieri nolunt aliis inferre præſumant.

1. Objicies Conſtitutionibus Apoſtolicis cautum eſt, ſub anathematis pœna & actuum legitimorum privatione, ne quis noſtri ordinis fratrum appellare præſumat de correctionibus, punitionibus, obedientijs, & ſimilibus, quæ ad correctionem morum imponuntur per quoſcunq; ſuperiores; niſi cum prælati ipſi excederent manifeſte limites regulæ & ſtatutorum ordinis, ergo Pater Copingerus non poterat appellare a decreto Cardinalis protectoris. Reſpondeo negando conſequentiam: quia potius ſequeretur, ſi decretum Cardinalis protectoris, imponatur ad correctionem morum, & non excedat manifeſte limites regulæ & ſtatutorum ordinis, quod non poſſet Pater Copingerus ab illo appellare: ſed nihil ad rem noſtrum. Quia ſi ponatur ad correctionem morum, certum eſt quod excedit limites ſtatutorum ordinis, nec non Iuris communi. Quia inaudita parte nullus debet ante tempus amoveri a ſuo officio, ſub illo prætextu: quod ejus inſtitutio non conducat tranquillitati Provinciæ, neq; progreſſui in Domino; transgreditur etiam illud decretum limites noſtræ regulæ, ut ſupra viſum eſt. Si non ſit ad correctionem morum, tum corruit vis argumenti, nam ut patet ex ipſismet noſtris ſtatutis licet apellare, videantur ſtatuta de appellatione his verbis, *ubi appellationi locus fuerit, a Provinciali ad generalem, a generali ad protectorem, a protectore, ad ſanctiſſimum Romanum Pontificem ſupremum in Eccleſia Iudicem appelletur, prout conſtitutione Apoſtolica, ſtatutum eſt.*

2. Objices qui de correctionibus levibus, in quibus parum injuriæ Religioſo irrogatur, appellare præſumpſerit, tanquam rebellis & inobediens uſq; ad incarcerationem, ſi non reſipuerit, puniatur, ergo licet per illud decretum parum injuria inferatur

B

ratur Patri Copingero, non poteſt tamen appellare Reſpondeo negando ſuppoſitum, ſcilicet quod parum injuriæ inferatur Copingero; ſed magna injuria, non ſoli Copingero, ſed toti ordini per talem recurſum extra ordinem : fit etiam provinciæ magna injuria transferendo ipſam, de vicariatu in vicariatum, idq; ad triennium : fit etiam injuria Momoniæ privando ipſam privilegio paternitatis Provinciæ.

Queſtio. 10.

Si Pater Copingerus citetur a protectore ordinis ad comparendum intra tale tempus, ug. menſem ſub pæna alicujus cenſuræ, peccet Copingerus non comparendo poſt factam appellationem ? Reſpondeo juxta doctrinam quam habet Bonacina de cenſuris diſp. 1. q. 2. punt. 2. n. 9. non peccare, nec cenſuram incurrere, & ratio eſt, nam ut ait Bonacina ſupra, cum doctoribus quos citat, appellans a cenſura, cenſetur etiam appellare a præcepto, cum cenſura ſit quid acceſſorium & præceptum principale, & conſequenter qui non comparet intra menſem non peccat, cum non faciat contra præceptum.

Queſtio 11.

Si ſuperior excommunicet P. Copingerum, ſi appellet, liget P. Copingerum, facta jam ab ipſo appellatione ? Reſpondeo juxta Bonacinam ſupra & doctores quos citat, quod non ligat, quia ut dicit Bonacina, ejuſmodi excommunicatio videtur continere intollerabilem errorem, & videtur contra jus naturæ, cum feratur contra eum qui ſe defendit ? Reſponſiones ad has duas ultimas quæſtiones, confirmantur ſupra quæſtione. 2. 3. & 5. ex quibus clare deducitur nihil innovandum eſſe

eſſe pendente appellatione ad ſummum Pontificem, & quod deponi meretur qui non defert tali appellatione, & authoritatis Apoſtolicæ ab omnibus, reus judicari debet.

Ex his clare patet, quod nullus ſummo Pontifice inferior poteſt aliquid innovare in præjudicium Patris Copingeri pendente appellatione ad ſummum Pontificem, unde neq; Protector ordinis, neq; R^mus Pater generalis, nec ullus alius inferioris conditionis id poteſt de jure, & ſi de facto id faceret totam eſſet irritum, & mane, imo potius teneretur reſtituere Copingerum in priſtinum ſtatum, in quo fuit ante illud decretum, antequam appellationis cauſa examinetur.

Quæſtio. 12.

De injuſta, invalida & falſa iſta excommunicatione, in quam incidiſſe quoſdam Patres in Momonia declararunt Patres Eugenius Callanus, & Bonaventura Bruodin. 7. *Aprilis* 1670. unico verbo patet injuſtitia, invaliditas, & nullitas iſtius excommunicationis denuntiatæ ſeu declaratæ, cum fuerit declarata poſt interpoſitam appellationem ad ſummum Pontificem, ut vero res melius intelligatur, refero factum iſtorum Patrum, itaq; P. Eugenius Callanus & Bonaventura Bruodin 7. die Aprilis 1670. declararunt quoſdam Patres in Momonia ſubiacere pœnæ privationis, vocis activæ & paſſivæ, & incurriſſe excommunicationem ſummo Pontifici reſervandam, eaq; de facto innodatos eſſe juxta inſtrumenta inſtitutionis Patris Oeanor, & propterea omnes Chriſti fideles, monent & rogant, ut erga patres illos ſic excommunicatos, ſe gerant uti decet & convenit erga nominatim denuntiatos; præterea ajunt quod non poſſunt evitare iſtam excommunicationem per frivolam appellationem Patris Copingeri, utpote ſine omni rationabili

 cauſa,

causa, & non ipsorum nomine, nec intra fatalia juris factam. Causam hujus excommunicationis assignant quia non solam ipsi non obediunt Patri Geanor, sed Patres Moriartum o Griffa, & Thadæum Bruodin, prætensos Guardianes de Quin & Limerick ab exercitio sui officij scandolose, & violenter arcere conantur.

Hic manifeste 3. falsa imponunt isti decreto seu instrumento institutionis P. Geanor, imo potius imponunt ipsimet Cardinali seu Sacræ congregationi, & summo Pontifici, vel illi cujus authoritate emanavit illud decretum, quod vocant instrumentum. 1. falsum est, quod non obedientes Patri Geanor priventur voce activa. 2. quod priventur voce passiva, 3. quod excommunicentur, per illud decretum, quæ omnia falsa esse postea videbitur. Imponuit etiam manifeste falsum pluribus imo, & omnibus quos denuntiant, scilicet quod scandalose & violenter prætensos illos Guardianos arceant, ab exercitio officij, ita enim loquuntur, ac si singuli ipsorum quos denuntiarunt excommunicatos, duos illos prætensos Guardianos arceant, quod tamen est falsum, quia unus tantum ex ipsis fuit Limirici, quando prætensus ille Guardianus, fuit a suo officio, nec quidem immerito, amotus, & similiter in conventu de Quin quando prætensus ille Guardianus, non fuit admissus, nec alij ipsum ullo modo viderunt. Si unitas vel multitudo mendacij desumeretur ex multitudine personarum de quibus dicitur, tot invenirentur mendacia in ista excommunicatione, quot personæ denuntiatæ, de quarum qualibet asseritur falsum unum, si non plura mendacia, præsertim cum dicant, eas sic fecisse scandalose & violenter.

Asserunt præterea istam appellationem factam fuisse sine omni causa rationabili, non ipsorum nomine, nec intra fatalia juris. 1. Pars hujus complexæ propositionis, vel non habet sen-

sum,

ſine, vel eſt contra ipſos, vel falſa, ſi enim particula illa, *ſine*, habeat vim negationis ut videtur habere, ſenſus eſt quod ſit aliqua cauſa rationabilis, iſtius appellationis, juxta regulam illam dialecticorum. *Non omnis quidam, nullus non valet omnis* & iſta una cauſa nobis ſufficit, ſi intelligatur illa particula *ſine* omni cauſa, id eſt ſine ulla cauſa, iſte non eſt ſenſus verborum, nec logice nec gramatice, ſed quod aliqua cauſa non ſit rationabilis, verum quidquid ſit, ex ſupra dictis, patet propoſitionem in illo ſenſu eſſe falſam, nam ibi plures aſſignantur cauſæ rationabiles, deinde pro appellatione interpoſita poſt ſententiam latam, nemo tenetur aſſignare cauſam coram judice a quo, ut patet ex gloſſ. ſuper eo de appellationibus, & cap. ad conſultationem de re judicata, & in pluribus alijs locis, licet in appellatione interpoſita ante ſententiam teneatur quis aſſignare cauſam gravaminis. Si falſa ſeu mendacia multiplicarentur ad multiplicationem cauſarum rationabilium iſtius appellationis, plura reperirentur falſa in iſta excommunicatione quam lineæ, nec dicam verba.

Aſſerunt iſtam appellationem non fuiſſe factam nomine aliorum, quod etiam eſt manifeſte falſum, ut patet ex 1. appellatione facta Clonmeliæ, coram non nullis ex patribus congregatis, & ex 2. facta Kilkeniæ coram patribus ibidam congregatis. 3. quidem appellatio interpoſita Caſſeliæ fuit ab omnibus contentis in iſto decreto, & inde ſecutis, coram patribus fide dignis, nec erat neceſſarium ut interponatur coram patre Geanor aut ſuis, quia, non ipſe ſolus eſt fide dignus, ut coram ipſo exprimeretur cauſa appellationis, deficiente judice a quo.

Quod autem aſſerunt iſtam appellationem non fuiſſe factam intra fatalia juris, eſt etiam manifeſte falſum, imo prius appellavit quam vidit illud decretum, aut copiam ejus authenticam, & intra decem dies poſtquam accepit a Patre Geanor aliqua-

lem ejus copiam, iterum appellavit, & eodem die quo vidit ejus duplicatum, (nam originale nondum vidit nec legit, nec ad ipsum ullo modo pervenit) appellavit, licet non teneretur appellare nec submittere se, priusquam haberet notitiam saltem magis certam, quam fuit illa quam habuit de falsa bulla P. *Taffe*, nam illa notitia habita de falsa bulla P. *Taaffe*, totum regnum in errorem induxit, nec sufficit quod res in se sit certa, nisi nobis sit certa, ut ei fidem adhibeamus, nam ut ait scriptura sacra, *qui cito credit levis est corde*, & monemur per eandem sacram scripturam, non credere omni spiritui, sed probare an ex deo sit: unde nullus dubitans aut suspicans de veritate istius decreti, tenetur ipsum admittere, nec appellare ab ipso, ratio est. 1. quia requiritur certior notitia ad fidem ipsi adhibendam quam ista quam tota Hibernia habuit de falsa Bulla Jacobi *Taaffe*., per quam decepti sunt fere omnes Catholici totius Regni. 2. ex reg. juris *qui certus est certiorari ulterius non debet*: ergo a contrario sensu qui non est certus certiorari ulterius debet, sed dubitans aut suspicans non est certus: ergo ulterius debet certiorari, ut teneatur se submittere vel appellare. 3. quia in cap. concertationi antiquæ de appellationibus in 6. dicitur quod ab electionibus intra decem dies, postquam quis sciverit, si velit appellet; sed secundum omnes scientia est notitia certa, ergo qui non est certus, non tenetur in suum præjudicium submittere; sed Pater Copingerus erat omnino incertus de veritate istius decreti, ut ipse asserit in sua Epistola ad Patrem Geanor, imo minus erat certus de ea quam de veritate falsæ Bullæ Patris *Taaffe* ob diversa motiva. 1. quia illud decretum fuit Cardinalis, Bulla vero P. *Taaffe* supponebatur obtenta a summo Pontifice, cujus litteras falsificare gravius videtur peccatum quam ullius Cardinalis, licet utrumque esset grave peccatum, 2. quia transumpto P. *Taaffe* testimonium perhibuit

it

it unus Episcopus cum pluribus notarijs, copiæ vero quam recepit P. Copingerus nullus Episcopus tale testimonium perhibuit, nec plures notarij. 3. quia transumptum P. *Taaffe* sigillatum fuit sigillo unius Episcopi, non vero copia quam recepit Copingerus a P. Geanor. 4. quia nemo (in fallor) recordatur totam Hiberniam fuisse sic deceptam, ante Patrem *Taaffe*, & ideo non videbatur necesse uti tanta cautela contra testimonium Episcopi, & plurium notariorum Apostolicorum ante istam deceptionem sicuti postea, quia omnis homo reputandus est bonus donec probetur malus. 5. quia secretarius, & confessarius Patris *Taaffe* instituebantur per illud decretum, de quibus tamen magis esset suspicandum quam de alijs ut pote magis intimis secretis Patris *Taaffe*. 6. quia Pater *Taaffe* se contulit in Hiberniam animo supprimendi Copingerum cum suis, & exaltandi institutos in isto decreto alios ipsis adherentes, licet alia via invitus processerit, & ideo dubitandum erat de veneno in cauda. 7. quia in transumpto Patris *Taaffe* nulla erat incongrua locutio grammatica sicut in isto decreto.

Ex quibus omnibus sequitur, quod P. Copingerus nullo modo tenabatur appellare ab ista copia vel decreto, nec ipsi adhibere fidem donec certior fieret, vel per aspectum originalis, sigilli, vel signaturæ Cardinalis, vel per generalem, vel per curatorem ordinis, vel comissarium generalem, ad quos spectat Provincias de hujusmodi recursu extra ordinem admonere, unde quamvis non appellasset, dum cum fundamento suspicaretur, & dubitaret de hujusmodi recursu, & veritate facti, nullum præjudicium sibi faceret, nec tempus illi curreret ad appellandum, tamen in omnem eventum, pluries appellavit, & præsertim eodem die quo duplicatum istius originalis vidit, quæ appellatio ante decem dies lecta fuit coram Patre Geanor, non ex necessitate, quia prius fuit lecta coram alijs fide dignis, nec

solus

solus Pater Geanor est fide dignus, in Provincia, nec ullo modo judex a quo vel ad quam illius appellationis.

Quamquam ex his certo constet de injustitia, invaliditate, & falsitate illius excommunicationis declaratæ per Patres Eugenium Callanum & Bonaventuram Brudin, tamen ut legentibus, in omnibus quantum ad hoc plenius satisfiat, operæ pretium duxi sequentes quæstiones continuare cum præcedentibus.

Quæstio 13.

An stante decreto Cardinalis protectoris in favorem Patris Geanor (quod tamen, ut dictum est, non stat de facto, sed suppositum est cum principali negotio est accessio) incurrant inobedientes Patri Geanor pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, & excommunicationem latæ sententiæ? Respondeo negative, quia sub nulla pœna id præcipitur in illo decreto ut patet ex verbis decreti ipsius scilicet. *Quapropter in virtute Sanctæ obedientiæ, & eadem qua supra authoritate Apostolica, mandamus atq; districtè præcipimus omnibus & singulis, ejusdem Provinciæ Patribus & fratribus omnibusq; aliis ad quos spectat quatenus vos omnes in ministros respective ut supra sibi præfectos recognoscant excipiant atq; pertractent, vestrisq; mandatis minister, & humili corde pareant atq; obtemperent.* In quibus verbis nulla est privatio vocis activæ & passivæ nec ulla prorsus excommunicatio, unde cum pœnæ sint odiosæ, & odia restringenda, nullus nisi odiosus vel non versatus in lectura istius decreti, asserere potest, inobedientem Patri Geanor incurrere pœnas istas per illud decretum, cum tantum valeat quantum sonat, & si Emus Cardinalis protector intendisset incurrere istas pœnas, quia tamen nullo externo signo id expressit uti poterat, contra eum interpretatio est facienda, juxta reg. 57. illam ju-

juris in 6. *Contra eum qui legem apertius poterat dicere interpretatio eſt facienda.*

Objices 1. In illo decreto inhibetur Potri Franciſco Copingero ſub pæna excommunicationis Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ reſervatæ, vociſq; activæ & paſſivæ ipſo facto, privationis incurrenda, ne in officio vicarij provincialis ſe deinceps, gerere aut immiſcere audeat vel præſumat, univerſis etiam & ſingulis patribus & fratribus præcipitur ſub ijsdem pænis ne Patrem Copingerum de cetero recognoſcant velut ſuum vicarium Provincialem, ergo qui non obediunt Patri Geanor, incurrunt iſtas pænas. Reſpondeo negando conſequentiam, quia potius ſequeretur eos qui agnoſcerent P. Copingerum velut ſuum vicarium Provincialem incurrere iſtas pænas, & nihil aliud quam hoc ſequeretur ex ſuppoſitione quod ſubſiſteret iſtud decretum, nec argumentum a ſimili vel a paritate rationis valet in pænis, ut aſſerunt communiter doctores, & præſertim ſcotus in 4. quia pænæ ſunt ſemper reſtringendæ, cum ſint odioſæ, & favores ampliandi.

Objices 2. Dum Pater Callanus & Bruodin declarant Patres illos incidiſſe in excommunicationem iſtius decreti, intelligi poſſunt de excommunicatione lata contra agnoſcentes Patrem Copingerum. Reſpondeo ipſos contrarium declaraſſe, nam expreſſis verbis loquntur de iſtis patribus, quia non obediunt Patri Geanor, & quia Patrem Griffa & patrem Bruodin ab exercitio ſui officij arcere conantur, & propterea declarant ipſos incidere in excommunicationem latam contra tales per inſtrumentum inſtitutionis patris Geanor, in quo tamen nulla prorſus eſt cenſura nec privatio propter hoc, ſed tantum præceptum obedientiæ. Reſpondeo. 2. Si intenderent ipſos excommunicaſſe quia agnoſcerent patrem Copingerum, quod id in ſcriptis exprimare tenebantur, ne incurrerent ſuſ-

penſionem ab ingreſſu Eccleſiæ tacendo cauſam excommunicationis, & irregularitatem, in qua ſolus ſummus Pontifex diſpenſat, ſi interim divina celebrent. Reſpondeo 3. Si intenderent excommunicare ſeu denuntiare patres illos, quia agnoſcerent Patrem Copingerum velut ſuum ſuperiorem, quod tunc falſam cauſam ſuæ cenſuræ aſſignant. nam cauſa cenſuræ latæ in illo decreto eſt agnoſcere Copingerum, ipſi vero aſſignant inobedientiam erga Patrem Geanor, & quoſdam prætenſos Guardianos, quæ inter ſe multum differunt, unde pœna unius non eſt extentenda ad alium, ſed potius favor, neq; decretum illud ullam prorſus facit mentionem de iſtis Guardianis. Reſpondeo 4. licet interius id intenterent, quod eccleſia, quæ non judicat de internis, eos non excuſaret, quo minus ſententia eorum ſit declaranda injuſta, ac ipſi ſubiaceant pœnis contra malos judices fulminatis, hoc patet ex praxi criminali ordinis noſtri pagina 81. his verbis *ſententia quæcumque illa ſit, omnino ex proceſſu dependeat, quod ſi ex deductis juſtificari non poterit, declaranda erit injuſta, ſubijcique debet judex pœnis contra malos judices fulminatis, ac etiam qui juris ordinem non ſervaverint*, ſententia vero illorum patrum non poteſt ex deductis in eorum proceſſu juſtificari, quia declararunt inobedientes P. Geanor & pretenſis iſtis Guardianis, incidere in excommunicationem iſtius decreti, quod nec ex tenore decreti, nec eorum proceſſu deducitur, nec valet argimentum a ſimili, vel a paritate rationis in pœnis.

Quæſtio 14.

An cenſura ſit valida quando nulla præceſſit admonitio? Reſpondet negative Bonacina de cenſuris diſp. 1. q. 1. punct. 9. & paulo infra aſſerit ſecundum quoſdam admonitionem ita

ſſe

eſſe de eſſentia cenſuræ, ut Eccleſia non poſſit de plenitudine ſuæ poteſtatis illam ferre ſine admonitione, quod colligunt ex iſtis verbis, *Si Eccleſiam non audierit ſit tibi tanquam Ethnicus & publicanus.* Licet alij cenſeant Eccleſiam id poſſe de poteſtate abſoluta, quamvis ordinarie non poſſit.

Sciendum tamen eſt quod cenſura lata pro futuris culpis, non requirit admonitionem diſtinctam ab ipſamet lege prohibente ſub cenſura: tum quia ipſa lex non ignorata admonet: tum quia alias ſequeretur nullam cenſuram incurri ipſo facto propter aliquod delictum, ſi præter legem neceſſaria eſſet alia admonitio, ita Bonacina ſupra, n. 1. In cenſuris vero latis pro culpis præſentibus & præteritis requiritur admonitio diſtincta, ut patet ex cap. *Romana de ſententia Excommunicationis* in 6 & cap. *Sacro eodem.* Ad noſtrum ergo propoſitum, ſtante decreto Em^mi Cardinalis Protectoris in favorem P. Geanor, nulla prorſus eſt admonitio ſub cenſura obediendi Patri Ceanor in illo decreto, & multo minus Patri Bruodin, aut Patri Griffa, ſed ad ſummum eſt tantum ibi præceptum obedientiæ, ergo ſtante illo decreto, inobedientes Patri Geanor & prætenſis ſuis Guardianis non incurrunt cenſuram quæ ſine ulla admonitione eſt invalida.

Hinc Patet quam ſcandaloſa, impia, crudelis, & tyrannica eſt denuntiatio iſta Excommunicationis, quæ nullo modo lata, eſt a jure, vel ab homine. Quod non a jure probatur, quia cenſura a jure dicitur ea, quæ fertur a legiſlatore cum intentione condendi legem ſeu ſtatutum perpetuum generale, injuncta tranſgreſſoribus pœna cenſuræ. Patet autem decretum Em^mi. Cardinalis protectoris non eſſe legem, nec ſtatutum perpetuum, ſed tantum ad triennium, unde nulla cenſura ibi injuncta poteſt eſſe a jure, ſed ab homine tantum; quia cenſura ab homine dicitur illa, quæ fertur à ſuperiore non intentione

 ferendi

ferendi ſtatutum, aut condendi legem perpetuam, ſed præceptum temporale & tranſitorium, impoſita contra inobedientes cenſura. Hujuſmodi eſſet cenſura iſtius decreti contra inobedientes Patri Geanor, ſi ulla eſſet cenſura: de facto autem nulla eſt ibi cenſura contra hujuſmodi inobedientes P. Geanor.

Quæſtio. 15.

Cujus authoritate facienda eſt admonitio? Reſpondeo Bonacina de cenſuris Diſp. 1. q. 1 punct. 9. dub. 3. Faciendam eſſe authoritate illius qui laturus eſt cenſuram, ratio eſt quia hujuſmodi admonitio vices geret citationis quantum ad hoc: legitima autem citatio facienda eſt authoritate judicis, *ex Panormitato in cap.* 1. *de judicijs.* n. 23. Tum quia cenſura fertur ob inobedientiam & contumaciam contra præceptum ſuperioris, non dicitur autem quis inobediens & contumax contra præceptum ſuperioris niſi admoneatur authoritate ſuperioris, ita plures doctores citati apud Bonacin.

Ad noſtrum ergo propoſitum, ſupponendo, quod P. P. callanus & Broadin canonice admonuiſſent (quod tamen non fecerunt) Patres illos quos in Excommunicationem incidiſſe declararunt, quæro cujus authoritate ipſos admonuiſſent? non authoritate Em^mi. Cardinalis protectoris, quia ab ipſo nullam habuerunt: nec valet dicere quod authoritate P. Geanor, quia P. Geanor non tulit nec laturus erat Excommunicationem de qua ipſi loquuntur, ſed ut falſo prætendunt, Eminentiſſimus Cardinalis Protector per ſuum decretum in favorem P. Geanor, ergo ſi authoritate ejus qui laturus erat Excommunicationem, facienda ſit admonitio, ipſi authoritate P. Geanor non poterant canonice admonere, deniq; authoritatem derivatam

a

a P. Geanor non exhibuerunt unquam iſtis Patri Turgos denuntiarunt excommunicatos, nec copiam ejus ad ipſos miſerunt, nec apud ipſos reliquerunt, ſicut apud populum & clerum ſecularem, quorum non tantum intererat ſicut illorum Patrum, quod abſq; ſcandalo facere non poterant, divulgando extra ordinem, diſſentiones ordinis, nec abſq; violentia, ſeditioſe, (ut ita dicam) commovendo clerum & populum contra prædictos Patres, & conſtituendo ignarum populum, judices controverſiarum ordinis.

Queſtio. 16.

An ſicut in ferenda cenſura requiritur aliqua admonitio, ita neceſſaria ſit citatio, dum declarandum eſt aliquem incidiſſe in cenſuram? Huic quæſtioni ſic Reſpondet Bonacina, cum communi doctorum ſententia, neceſſariam eſſe citationem, quia ſententia lata inaudita parte, irrita eſt, cum enim judicium exerceatur inter judicem & partes, opus eſt ut pars in judicium vocetur ſeu citetur. cap. *inter quatuor de major & obed.* citatio enim fit ut pars ſciat cauſam quæ agitur in judicio, & compareat ad ſe deffendendum ita Panormitanus in cap. *Pervenit.* 1. *n.* 5. *de appellationibus*, aſſerens non eſſe denuntiandum aliquem excommunicatum ob Clerici percuſſionem, niſi ipſo antea citato, & receptis etiam probationibus ſuper veritate facti, cap. *Cum ſecundum leges de hæreticis in 6.* niſi forte exceſſus adeo ſit notorius & manifeſtus ut expreſſe conſtet abſq; indagine nullam competere Reo defenſionem aut excuſationem a delicto. Idem tradidit gloſſa in cap. *Sacro verb. Conſtiterit de ſententia Excom. Toletus lib.* 1. *cap.* 45. *n.* 3. *verſ. adverſe. Fetinus in cap. Rodulphus n.* 9. *de Reſcriptis. Navarrus Conſil.* 56. *n.* 5. *de ſent. Excom. & plures alij apud Bonacinam*, affirmantes

ſenten-

ſententiam declaratoriam, quod aliquis inciderit in cenſuram ferri non poſſe abſq; citatione, & antequam audiatur, vel contumax judicetur, & declarationem abſque citatione, & auditione factam, ipſo jure nullam eſſe, & conſequenter non obeſſe, quo minus acta, facta per obſtrictum Cenſuris ſubſiſtant & valeant. Contra hanc communem ſententiam Doctorum & jura quæ citant, P. Callanus & Broadin declararunt plures Patres in Momonia incidiſſe in excommunicationem juxta inſtrumentum inſtitutionis Patris Geanor, quos tamen Canonice non citarunt ſub ulla pœna, imo quendam qui præ timore eorum violentiæ ſe ſubmiſit; denuntiarunt excommunicatam, ſive antea, ſive poſt, ipſi viderint.

Objicies Bonifacius Octavus conceſſit prælatis noſtri Ordinis ut ad correctionem & punitionem, fratrum Delinquentium rimulis juris, & apicibus ejus poſtpoſitis libere procedere valeant ſecundum conſuetudines approbatas, & generalia facta vel fienda ipſius Ordinis inſtituta.

Reſpondeo 1. Calanum, & Bruodin non fuiſſe hujuſmodi Prælatos, ſed ad ſummum prætenſos delegatos, nec ſuæ delegationis copiam ad præfatos Patres miſiſſe, nec apud ipſos reliquiſſe, ſicut apud clerum & populum gloriantur ſe reliquiſſe.

Reſpondeo 2. quod ex ipſamet conſtitutione procedere tenentur ſecundum conſuetudines Ordinis, & generalia facta vel fienda Ordinis inſtituta. Hæc autem eſt Ordinis conſuetudo, & fiat Canonica admonitio, & trina citatio, vel ſaltem una peremptoria, idque ſub cenſura antequam cenſura denuntietur, hoc patet ex ipſismet ſtatutis c. 6. ſect 19. quia licet Scriptura ſpectet tantum ad apices ſeu rimulas juris, tamen ſtatuta Ordinis decernunt, & declarant excommunicationem ſine Scriptis ad præcavenda delicta latam, eſſe nullam. Unde patet quod

iſta

ista constitutio Bonifacii 8. non exonerat prælatos quo minus teneantur procedere secundum apices juris, quando est ordinis consuetudo.

Respondeo 3. ex ipsismet statutis quod prælati tenentur saltem ad ordinem substantialem juris, ut est admonitio Canonica, & una ad minus citatio, ut patet ex ipsis etiam statutis, his verbis. *Non tamen possunt prælati in actibus suis judicialibus secundum suum arbitrium procedere, cum certum sit divina lege, & naturali, eos teneri ad ordinem substantialem juris.*

Respondeo 4. hic non esse quæstionem de correctione, nec punitione, sed de jurisdictione inter Patrem Copingerum, & Patrem Geanor, quæ lis modo sub judice est. Unde corruit totum argumentum, quod fundatur in correctione. Deinde ad corrigendum requirit ista constitutio quod observentur prævia deliberatio, & maturitas debita, quod fieri non potest inaudita parte.

Object. 1. Secundum statuta nostra prælati non tenentur ad apices juris ut sunt citationes, delationes, sententiæ interlocutoriæ, & diffinitivæ.

Respondeo 1. quod loquuntur in causa correctionis, non vero jurisdictionis.

Respondeo 2. transeat quod non teneantur ad apices ibidem specificatas, ut ad plures seu trinam citationem, sed ad unam peremptoriam; quod autem ad unam saltem citationem teneantur, & ad trinam admonitionem, in ferendis censuris, patet quod requiratur contumacia, & ad contumaciam trina admonitio ex statuti nostris c. 6. sect. 22. ubi decernunt *inobedientiam, contumaciam, esse quando quis trina monitione præmissa factis congruis intervallis, per diem naturalem inobediens perseverat*, quod autem requiratur una saltem citatio si non plures secundum statuta, patet ex ipsismet statutis supra, quæ volunt

quod

quod nullus prælatus contra inauditam partem, nec contra eum qui non fuerit ſufficienter convictus, aut confeſſus ſententiam aliquam ferat, qua quiſquam vel actibus legitimis, vel officijs ordinis privetur, nullus autem poteſt audiri, vel convinci, vel confiteri, niſi citetur, ſaltem ſemel ut compareat, ergo ad ferendam cenſuram in noſtro ordine requiritur trina admonitio & una ſaltem peremptoria citatio.

Quæſtio 17.

A quo facienda eſt denunciatio? Reſpondet Bonacina ſupra *Punct.* 13 *prop.* 2. Faciendum eſſe a legitimo ſuperiore, ſeu de authoritate legitimi ſuperioris, quia denuntiatio eſt pœnæ executio, executio autem pœnæ facienda eſt a legitimo ſuperiore, vel de ejus mandato. Hæc Bonacina. Ad noſtrum propoſitum, ſuperior non injunxit hanc pœnam, & tamen Callanus & Broadin volunt prævenire mentem ſuperioris, & exequi pœnam non authoritate Cardinalis Protectoris, (ut ſupra viſum eſt) nec etiam Patris Geanor, ut ipſe (in fallor) non inficiabitur, quia ab ipſo non emanavit iſtud decretum, cui Patres iſti falſum imponunt. Tranſeat etiam quod a quocumq; ferri poſſit denuntiatio, dum crimen eſt adeo clarum & notum ut nulla tergiverſatione celari poſſit, quia non eſt ſic in noſtro caſu, cum non ſolum tergiverſationibus, ſed veris rationibus, & ſolidis fundamentis noſtram probemus innocentiam.

Quæſtio 18.

Ubi facienda eſt denuntiatio? Reſpondet Bonacina, quod facienda eſt publice in Eccleſia, & Publice in ſcriptis affigi debet ad portas Eccleſiarum, cum expreſſione cauſæ juxta receptum

ceptum loci morem. Cap. *Cum medicinalis, de ſent. Excom.* Ita Doctores communiter quos citat Bonacina diſp. 1. q. 1. punct. 13. prop. 4. Ex hac Theologorum ſententia abunde conſtat, quod Patres Callanus & Bruodin poſtpoſito juris ordine, relicta ſeu contempta, vel ſaltem ignorata Theologorum ſententia, alium procedendi, ſeu pervertendi modum in denunciandis ſuis invalidis cenſuris propria arte indagaverunt. Publice debet fieri iſta denuntiatio, ipſi privatim eam fecerunt, quid quæſo inter ſe magis pugnant, quam publicum & privatum? *Qui male agit odit lucem*, inquit ſaluator, *& non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* In Eccleſijs fieri debet iſta denuntiatio, non ſic autem facta eſt, ſed in locis prophanis. Reis manifeſtari debet ut recipiſcant, ſed ipſis ſolis pluries petita diu denegatur. Ipſis inſcijs oſtiatim defertur, de domo in domum, quod palam fieri deberet coram populo ad portas Eccleſiarum, ſeu locorum refugij (quæ Eccleſiarum ſupplent vices) ut ab omnibus videatur, præſertim a prætenſis illis excommunicatis, ut reviviſcant, vel confundantur: non ſic autem facta eſt, ſed ſucceſſive coram hoc & illo, his & iſtis, etiam diverſæ communionis. Medicinalis eſt Excommunicatio, ſi ægro Eccleſiaſtico more applicetur, ſecus vero venenum ſit mortiferum, & ei nocet qui eam tulit, ut oſtenſum eſt ſupra. Ecce quomodo excæcavit eos malitia eorum.

Quæſtio. 19.

An ille qui cenſuram a jure vel ab homine latam, ipſo jure contraxit, ſit denuntiandus ſtatim poſt delictum, ante ſententiam Criminis declaratoriam? Reſpondet Bonacina ſupra

prop. 4. Non esse denuntiandum statim post delictum ante sententiam Criminis declaratoriam, etiamsi delictum notorium sit & publicum, sed præmittenda est citatio & sententia Criminis declaratoria. Cap. *Pervenit* 1. & cap. *Consulvit*. Ratio est tum quia denuntiatio est quædam executio pœnæ inflictæ, judex autem ad judicam pœnæ executionem procedere non debet ante sententiam Criminis declaratoriam, etiamsi Crimen notorium sit. Tum quia fieri potest ut Reus probet innocentiam, & probabilem sui facti excusationem afferat, ut bene Covarrubias cap. *Alma mater* 1. *p.* (.) 2. *n.* 9. *Suares, disp.* 3. *Sect.* 14. *n.* 6. *vers. Ex quo intelligimus*. Et alij apud Bonacinam. Hunc procedendi modum non observarunt Callanus & Bruodin, quia Patres illos sub nulla censura citarunt, nec ad audiendam sententiam vocaverunt, cum non longe fuerint ab eis, sed ad suum arbitrium denuntiarunt postposito juris ordine.

Quæstio 20.

Quænam est pœna injuste excommunicantis? Respondeo quod privatus est uno mense ingressu Ecclesiæ, & alia pœna superioris arbitrio mulctatur. Hoc patet ex cap. Sacro de Sent. Excom. his verbis: *Sacro approbante concilio prohibemus, ne quis in aliquem, excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & personis præsentibus idoneis, per quas (si necesse fuerit) possit probari monitio, promulgare præsumat, si quis contrarium præsumpserit: etiamsi justa fuerit excommunicationis sententia: ingressum Ecclesiæ per mensem unum sibi noverit interdictum, alia nihilominus pœna mulctandus, si visum fuerit expedire*. Item tenetur excommunicato ad interesse. Tenetur etiam actione injuriarum. *xi. q. iii. illud* & cap. Temerarium

rium, item. Tenetur pœna ſacrilegij xxiiii. q. 3. *non in perpetuum*. Hodie vero qui excommunicat in ſcriptis excommunicationem proferat, & cauſam excommunicationis expreſſe conſcribat, & qui contrarium fecerit, per menſem unum ab ingreſſu Eccleſiæ & divinis officijs ſe noverint ſuſpenſum, & ſi ſuſpenſus divina præſumpſerit officia celebrare irregularis efficitur, & per Papam tantum poterit diſpenſari, & hæc omnia probantur per *Decretalem Innocenti 4. cap.* Cum medicinalis in 6. videant, calanus & Bruodin quomodo ab iſtis pœnis ſe expedient, a ſuſpenſione, ſcilicet, irregularitate, & ſacrilegio.

Dum hæc ſcriberem, & tertiana laborarem, quidam Pater ex parte Illuſtriſſimi ac Reverendiſsimi Archiepiſcopi Dublinienſis me invitavit ad præſules Hiberniæ, tum Dublinij convocatos, poſt nonnulla verba circa hanc litem, ſingulorum accepta benedictione, ipſis valedixi: Poſtera die cum pauluhum reſpiraſſem, & morbi vis aliquantulum requieviſſet, ſequentes quæſtiones problematicæ propoſitas, dedi Illuſtriſsimo ac Reverendiſsimo Hiberniæ Primati, per ipſum alioſque Hiberniæ præſules, reſolvendas.

Primo igitur quæſitum fuit, an inobedientes Patri Geanor priventur per decretum Cardinalis Protectoris voce activa & paſsiva, & excommunicentur ipſo facto excommunicatione reſervanda ſummo Pontifici?

Ratio partis affirmativæ eſt, quia ipſe Pater Copingerus ſic privatur, & excommunicatur per illud decretum, ſi ſe amplius gerat, vel immiſceat in officio Vicarii Provincialis, nec ipſe ſolus, ſed etiam agnoſcentes ipſum velut ſuum legitimum ſuperiorem. Ratio partis negativæ eſt, quia nulla prorſus pœna canonica vel cenſura Eccleſiaſtica afficiuntur per illud decretum inobedientes Patri Geanor, ſed tantum ipſis præcipitur, & eum velut ſuum legitimum ſuperiorem agnoſcant; unde cum ar-

gumentum a simili, vel a paritate rationis, non valeat in pœnis, videtur sequi inobedientes Patri Geanor sub hoc titulo nullam incurrere pœnam sive censuram Ecclesiasticam per illud decretum, si ullum obligaret, quia de facto in casu appellationis neminem obligat.

2. Quæsitum fuit an denuntiantes quod quidam Patres non obedientes Patri Geanor, priventur voce activa & passiva, & excommunicentur ipso facto per illud decretum seu instrumentum, institutionis Patris Geanor, falso, injuste, & invalide id denuntiant? Ratio partis affirmativæ est, quia nulla est hujusmodi pœna, ut dictum est, in præfato decreto, seu instrumento contra inobedientes Patri Geanor. Ratio partis negativæ est, forte a paritate rationis in pœnis, vel quæratur aliunde.

3. Quæsitum fuit, an denuntiantes aliquem incidisse in excommunicationem istius decreti, eo quod resistat Patri Geanor, vel Guardianis ab ipso institutis, subjaceat pœnis contra malos judices fulminatis? Ratio partis negativæ est, quia præcipitur ipsis ut obtemperent patri Geanor per illud decretum, & consequentur Guardianis ab ipso institutis. Ratio partis affirmativæ est, quia falsam causam istius denuntiationis assignant, scilicet quod hujusmodi censura lata sit per illud decretum seu instrumentum institutionis patris Geanor; deinde de jure communi, & particulari nostræ Religionis est, at patet ex praxi criminali pag. 81. quod *sententia quælibet ex processu dependeat quasi ex deductis justificari non poterit; declaranda erit injusta, subjicique debet judex pœnis contra malos judices fulminatis, ac etiam si juris Ordinem non servaverint*, ista autem denuntiatio non potest justificari ex deductis, nec ex processu, cum nulla prorsus sit censura in isto decreto, seu instrumento, contra non obedientes patri Geanor.

4. Quæsitum fuit, an denuntians aliquem excommunicatum mu-

non præmiſſa monitione canonica ſub cenſura incurrat aliquam cenſuram Eccleſiaſticam? Ratio negativæ eſt, quia prælati religionum non tenentur ad apices juris. Ratio affirmativæ eſt, quia ex cap. ſacro de ſententia excommunicationis, *ſi quis in aliquem excommunicationis ſententiam niſi competenti admonitione præmiſſa, & perſonis idoneis præſentibus per quas ſi neceſſe fuerit) poſſit probari monitio, promulgare præſumat, ingreſſum Eccleſiæ per unum menſem ſibi noverit interdictum.* Deinde admonitio eſt de ſubſtantia juris, & non de apice ejus, & quicquid ſit fratres minores ex ſuis ſtatutis ad eam tenentur, nam ad excommunicationem requiritur inobedientia contumax, quæ eſt quando quis trina monitione præmiſſa, factis congruis intervallis, per diem naturalem inobediens perſeverat ex ſtatutis ordinis cap. 7. (.) 22.

5. Quæſitum fuit, an injuſte excommunicans ſit ſacrilegus? Ratio negativæ eſt, quia ignorantia & Zelus videntur ipſum excuſare. Ratio affirmativæ eſt, quia ſacrilegium eſt abuſus rei Sacræ, ſed injuſte excommunicans abutitur re Sacra, & ideo ex 24. q. 3. c. non imperpetuum Sacrilegij facinus incurrit: nec ignorantia juris, præſertim vincibilis, ullum excuſat, nec etiam Zelus indiſcretus, cum prælatus debeat eſſe prudens ſicut ſerpens, & ſimplex ſicut columba, unde in eodem cap. dicitur *quod multi ſacerdotum culpam dei Zelo perſequi profitentur, ſed dum indiſcrete agitur Sacrilegij facinus incurrunt.*

6. Quæſitum fuit, an qui falſam cauſam excommunicationis, in denuntiatione ſcribit, ſit ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, & divinis officijs, & ſi ſic ſuſpenſus celebret divina, incurrat irregularitatem, in qua ſolus ſummus Pontifex dispenſat? Ratio affirmativæ eſt, quia excommunicans non ſcribens cauſam incurrit talem cenſuram, & falſa cauſa non eſt cauſa. Ratio negativæ eſt, quia aſſignat aliquam cauſam: & pœnæ ſunt ſemper reſtringendæ.

Il-

illustrissimus ac Reverendissimus Primas Hiberniæ, cui has ego quæstiones per ipsum alios; Hiberniæ præsules, tum Dublinii congregatos, ut præfertur, solvendas dedi; non aliter mihi respondat, quam se certum esse, institutos per illud decretum Cardinalis protectoris, seu alios ab ipsis missos, abusos fuisse authoritate ipsis concessa. Sic nihilominus, cæterosq; Hiberniæ præsules recepisse præceptum, seu mandatum a curia Romana protegendi, ac manutenendi authoritatem Patris Geanor, contra Patrem Copingerum, etiam cum effusione sanguinis, si res ita exigeret. Hoc tamen prætensum curiæ Romanæ mandatum exhibere nolunt, aliter quam oretenus: & ideo mihi semper fuit, & erit suspectum, nisi videro authentice Ratio esset. nam ut ait salvator Joan. 3. 21. *qui facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in deo facta sunt.* si quia curia Romana mandavit prælatibus Hiberniæ ut postposita omni appelatione protegant Patrem Geanor contra Copingerum, vel non mandavit; si primum, adhuc pariuntur exceptiones, ut canonistæ tradunt. si secundum, tenentur deferre appellationi Patris Copingeri ut patet supra q. 5.

Protestatus est etiam idem primus se non adversari Patri Copingero, eo quod subscripserit Remonstrantiæ Petri valesij id etiam protestatur Archiepiscopus dubliensis in sua Epistola ad Episcopum Osbrensem, nimirum se non persequi illius subscriptores istius Remonstrantiæ, sed potius protegere, modo legitimo superiori obtemperent.

Hortatur tamen patrem Geanor summaque prætensum affinitorium, ut pergant contra Valesium & Copingerum, eo quod prætensa autoritate pontificia castra Regis eripiant, & ab ejus subditis pecunias extorqueant, ut ipse pretendit. Has ego protestationes non laudo, nec vituperо. Non laudo quidem, quia si fidem Catholicam per illam Remonstrantiam, vel in modico la-

befactari firmiter credant, politica illa protestatio, eos nequaquam poterit excusare, dicente Domino, *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cœlis est*, Matth. 10. 33. non vitupero, quia si præfatam Remonstrantiam fidei consonam esse sentiant, non immerito protestantur se eam non impugnare, cum Regi placeat, & Romanis non displiceat, ut ex his protestationibus quidam colligunt. Hic tamen advertendum est, horum præsulum protestationibus plures rationabiliter moveri ad subscribendum dictæ Valesii Remonstrantiæ absque scrupulo, quam ullis Valesii persuasionibus: & ratio est, quia paucis ab hinc diebus in ore omnium versabatur hujusmodi Remonstrantiam odiosam esse Romanis, cujus contrarium ex his protestationibus deducitur. Si enim Romanis esset odiosa, mirum est quod præfatis præsulibus nuperrime per curiam Romanam ad tantam dignitatem promotis, non esset ingrata, nec odiosa, ut non videtur esse, si eorum protestatio sit sincera.

Quæstio. 21.

Quid sentiendum de propositionibus, quas adversa pars permixte attribuit curiæ Romanæ in casu hujus litis? Prima harum propositionum est, quod Curia Romana non dignaretur examinare merita vel demerita hujus litis, nec appellationis Patris Copingeri. Secunda, quod nullus in Curia Romana auderet porrigere appellationem, Patris Copingeri, nec supplicem libellum in ejus defensionem. Tertia, quod exhibens hujusmodi appellationem, vel supplicem libellum, statim inca[illegible]etur. Quarta, Si quis Copingero adhærens peteret loca ultramarina, quod nunquam in suam patriam reverteretur, de his propositionibus sentio breviter Curiam Romanam, ab istis & singulis in suam

esse

esse immunem. has ego a multis audivi, & non credebam narrantibus mihi, nec adhuc credo, quod ullus fide dignus, & bene affectus erga sedem apostolicam, talem ac tantam ipsi attribueret injustitiam, & licet Illustrissimi ac Reverentissimi antistites, primas Hiberniæ & Archiepiscopus Dublinensis, (quibus appellationi P. Copingeri deferendum non videtur, contra canones Ecclesiæ, sed potius falcem suam mittere in messem alienam, dum religiosos ab episcoporum jurisdictione exemptos, & sedi apostolicæ immediate subjectos, ad suum nutum, contra regulam regulare prætendunt, ad instar Jansenistarum in Gallia, qui totis viribus religiosos supprimere conabantur, ut facilius ad perversum suum finem pervenirent, cujus testis sum ocularis, faxit deus quod eadem Hæresis apud nos paulatim non reviviscat) has ipsas propositiones potius confirmare quam infirmare videantur, malo tamen, salva semper gratia tantorum præsulum, meum suspendere judicium, quam sedem Romanam fundamentum & columnam veritatis de ulla injustitia suspectam habere, ne hæreticis schismaticis, paganis, & infidelibus solo lumine naturali, ductis, imo & Catholicis redderetur odiosa, & quia hujusmodi rumor apud plurimos increvit, necessarium duxi, curiam seu sedem Romanam ab his propositionibus, authoritate Sacræ scripturæ, & rationibus ex ea deductis, vindicare.

Probatur igitur 1. quia licet deus omnia sciat, & nuda & aperta sint oculis ejus, tamen priusquam tulisset sententiam definitivam contra parentes nostros in paradiso voluptatis, declarando mulieri quod in dolore pareret filios, & viro quod maledicta esset terra in opere ejus, ipsos ad se vocavit, dicens Adam ubi es? Gen. 3. 10. sic in rei veritate præsumendum est de Ecclesia Romana, quod priusquam ullum condemnaret, ipsum ad se vocaret, nec sufficeret ipsi recipere infirmationem

der

per adverſam partem, ſicut deus non judicavit nec condemnavit parentes noſtros ob informationem ſerpentis, nec mulierem ob informationem viri, nec e converſo virum ob informationem mulieris, ſed quemlibet eorum interrogavit & examinavit ſeparatim, non quod aliquid ipſum lateret, ſed ad exemplum ſuæ Eccleſiæ id fecit, quis ergo contrarium hujus abſq; ſcelere imponeret Eccleſiæ Romanæ.

Probatur 2. quamvis deus in cælo exiſtens, ſciviſſet peccata Sodomorum & Gomorrheorum, dixit tamen quod *deſcenderet ut videret utrum clamorem illum opere compleverint, ut ſciat Gen.* 18. 21. ut per hoc diſcamus neminem etſi Sodomorum & Gomorrheorum peccatis infectum, nos (qui ut plurimum fallimur) debere condemnare inauditum: ſed prævia deliberatione, & maturitate debita obſervatis, cauſarum merita, & demerita examinare; certus ſum Eccleſiam Romanam quicquid dixerint non nulli Hiberniæ prælati, in caſu hujus controverſiæ, nunquam docuiſſe contrarium.

Probatur 3. Deutoronimij. 17. 8. *ſi difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram, & judicum inter portas tuas videris verba variari, aſcende ad locum quem elegerit dominus deus tuus, venieſq; ſacerdotem levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæreſq; ab eis, qui indicabunt tibi judicij veritatem*: hunc locum in novo teſtamento non dubito eſſe Romanam Eccleſiam, & ſacerdotes, præſules ejuſdem Eccleſiæ; & judicem, Romanum Pontificem, canonice intrantem, ſed quid, quæſo, prodeſt Patri Copingero aſcendere ad illum locum in caſu hujus controverſiæ, ſi non audiatur? ut aſſerit pars adverſa, nec ejus ſupplex recipiatur libellus, ſed inauditus carceri mancipetur, vel ſaltim ita detineretur, ut nulla ſit ei ſpes revertendi in Patriam. Profecto Romanis, Paganiſini tem-

pore non erat talis conſuetudo, ut habetur actuum. 25. 16. *non eſt conſuetudo Romanis donare aliquem priuſquam is qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina.* quis modo niſi ſpurius auderet dicere, quod Romani fide Catholica inextinguibiliter illuminati, deterioris ſint conditionis, quantum ad hoc, quam Paganiſmi tempore, dum velamen erat ſuper facies eorum? abſit tantum nefas ab Eccleſia Romana, eſto quod Pater Copingerus ſit publicanus & peccator, nonne cum publicanis & peccatoribus manducavit dominus? & Phariſei de hoc murmurabunt. Eſto quod ſit ovis perdita, *none ſaluator noſter reliquit nonagenta nouem oves in deſerto & venit quærere eam quæ perierat?* & ubi quæſo, inventam, poſuit? non in carcere, *ſed ſuper humeros ſuos, nonne convocavit amicos & vicinos, dicens illis congratulamini mihi quia inveni ovem meam quæ periarat?* *luc.* 15. 16. Eſto quod ſit filius prodigus qui vivendo luxurioſe diſſipaſſet ſubſtantiam ſuam, nonne hujuſmodi filius ad patrem reverſus, cum ſummo gaudio fuit receptus? *nonne pater videns ipſum a longe & miſericordia motus, & accurrens ſuper collum ejus oſculatus eſt eum? nonne protulit ſtolam primam & induit illum? nonne dedit annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus, & adduxit vitulum ſaginatum, & occidit, & epulatus eſt, quia filius ejus mortuus eſt & revixit, perierat & inventus.* eſt? *luc.* 15. quod quidem ſtare non poteſt cum propoſitionibus iſtis quas adverſa pars attribuit Eccleſiæ Romanæ. Quia non ſolum charitati, ſed etiam veritati repugnant, quomodo enim ſacerdotes loci quem elegit dominus indicabunt Copingero judicij veritatem, ſi audire & informari renuant, niſi per adverſam partem, cui in præjudicium inauditi, non eſt æquum adhibere fidem.

Probatur 5. Deuteron. 19. 15. *Stabunt ambo, quorum cauſa eſt, ante dominum in conſpectu ſacerdotum & judicum qui fuerint in*

in diebus illis, cumq; diligentiſſime perſcrutati invenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere, non una tantum pars, ſed ambo, quorum cauſa eſt, ſtare jubenter inconſpectu ſacerdotum & judicum: ſed quomodo ſtabunt ambo? ſi unus tantum ſtet fortiter accuſans, alio in carcere detento, ſi unius recipeatur, & ponderetur libellus accuſationis; alterius vero nec conſideretur, nec examinetur. Jubentur judices diligentiſſime perſcrutari amborum rationes, quod impoſſibile eſt inaudita una parte. Neſcio quomodo Eccleſiæ Romanæ manifeſtiſſimi hoſtes cum ullo prorſus colore, eam pernitioſius criminarentur quam attribuendo ipſi dictas propoſitiones contra tot expreſſa Sacræ ſcripturæ teſtimonia, quod nunquam fieri poteſt niſi opprimendo juſtos, & dimittendo noxios, quod cum intimo cordis noſtri dolore videmus coram oculis noſtris, virtute iſtius prætenſi decreti emanati inaudita parte: nam neq; Copingerus, neq; valeſius, neq; Caronus, nec ipſis adhærentes, tot ſcandala, tot diſſentiones & diſcordias, præſertim extra ordinem cauſarunt, quot noviſſime occaſione iſtius prætenſi decreti emerſerant, per Patres Calanum & Brucdin, miſſos cum plenitudine poteſtatis a Patre Geanor per totam Momoniam (ut cæteros taceam aliaq; Hiberniæ loca) imo plura ſcandala in bimeſtri per hos quam per illos toto tempore vitæ uſq; in præſentem diem venerunt; & tamen hi dimittuntur, & innocens Copingerus opprimitur, unum denuntiavit excommunicatum Copingerus, nihil mali ſuſpicans de Patre Taaffe, nec de ejus bulla, illi plures, nullo ſervato juris ordine, & tamen opprimitur Copingerus, & illi dimituntur. unus ex ipſis fere per triennium inobediens perſeveravit, alter ſequentium errorum ab orbe Chriſtiano exte-

minandorum auctor extat,& tamen iſti quaſi innoxi dimituntur, & cum plenitudine poteſtatis mittuntur, Copingerus vero de nullo ex ipſis ſuſpectus, opprimitur.

Hi ſunt errores iſti deteſtabilis. 1. quod quilibet poſſet ſalvari in ſua Religione ob ignorantiam invincibilem. Ex quo principio ſequeretur Paganos, hæreticos, infideles, ſchiſmaticos &c. ſalvari,ac ſi ignorantia invincibilis abſolueret ipſos a peccato originali, & actuali. 2. quod gravius ſit peccatum cognoſcere ſolutam,quam conjugatam. 3. quod ante tridentinum ſacerdotes Sanctæ Romanæ Eccleſiæ non tenebantur voto caſtitatis. 4. quod matrimonium annuale, etiam me præſente,cum pluribus alijs Religioſis defendebat,cum præjudicio cujuſdam mulieris ipſum cum viro ſuo audientis lingua vulgari loquentem. horum auctor (quem nominare differo expectans ipſius correctionem) dimittitur & exaltatur, Copingerus vero de nullo ſimili errore ſuſpectus opprimitur & humiliatur ; quod quidem Romanæ Eccleſiæ non eſt attribuendum,magis quam propoſitiones iſtæ jam refutatæ, ſed delatoribus iſtis qui Eccleſiam Romanam de nobis male informant,& nos viciſſim de Eccleſia Romana, & ſic inter matrem & filios ſuos ſpirituales ſeminant diſcordias. *Sex ſunt,inquit Salomon,quæ odit dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus,eum ſcilicet qui inter fratres ſeminat diſcordias. Proverb.* 6. 19. Si anima domini execratur eum, qui inter fratres ſeminat diſcordias, quanto magis eum execratur,qui inter matrem & filios ſuos ſpirituales ſeminat has diſcordias,ut inter nos & Eccleſiam Romanam, omnium Eccleſiarum matrem.

Audivi a quibusdam Hiberniæ præſulibus Patrem Copingerum propterea fuiſſe depoſitum, quia ſe non excuſavit in cauſa Patris Taaffe apud Curiam Romanam, ſicut alii Hiberniæ Prælati. Reſpondeo huic rationi,ſeu objectioni,Illuſtriſſimorum ac

re-

reverendiſſimorum Dominorum Primatis & Archiepiſcopi Dublinienſis, ex reg. 60. juris in 6. quod *non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri.* Quod autem Pater Copingerus ſic ſe tueri poteſt, patet ex verbis Primatis aſſerentis, Patrem Copingerum miſiſſe ſuam excuſationem R^do Ad^m Patri Franciſco Haroldo, exhibendam Romæ illis quorum intererat, ſicut ipſemet Pater Haraldus faſſus eſt Primati: ad Cardinalem vero Protectorem ſcribere non præſumpſiſſe; tum quia Cardinalis Protector ad omnes Hiberniæ Ordinarios ſcripſit, quatenus ſuam Eminentiam vel Curiam Romanam, vel ſacram Congregationem certiorem facerent, de iis quæ acta ſuntin Hibernia in cauſa Patris Taaffe: ad Patrem Copingerum vero licet ſui Ordinis per totam Hiberniam, tum ſuperiorem Provincialem, nihil ſcripſit de facinore P. Taaffe, ſui inſtituti, profeſsi; & propterea non præſumpſit ad conſilium accedere antequam vocetur. Tum etiam quia temere videretur judicare, vel ſaltem ſuſpicari, Hibe niæ Ordinarios, quibus hanc curam impoſuit Cardinalis Protector, ſi ipſi in mentem veniret, quod ullus ex eis ſe ſolum, nihil in hac re ſibi conſcium, criminaretur, præ omnibus aliis in tota Hibernia, qui agnoverunt P. Taaffe, & etiam excommunicarunt contumaces contra legatum ſummi Pontificis, (ut ſupponebatur) tum, pro certo: idque juxta privatas inſtructiones P. Taaffe, quæ adhuc ſub ejus ſigillo & manu extant. Unde iſta non excuſatio, non eſt attribuenda Patri Copingero, cum non fuerit admonitus, ſicut cæteri Hiberniæ Prælati, ſed ad ſummum R^do Ad^m Patri Franciſco Haraldo, qui excuſationem ad ipſum miſſam, exhibere vel formidabat, vel negligebat. Hinc dicit reg. 41. juris in 6. *imputari non debet ei per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum erat faciendum.*

Ex hac ipſa ratione convincitur decretum illud Eminentiſſimi Cardinalis Protectoris, quo deponitur pater Copingerus fuiſſe

isse subreptitium, supponendo scilicet cum præfatis præsulibus, Copingerum fuisse depositum, quia se non excusavit in causa P. Taaffe, nam illi Ordinarii ad quos scripsit Eminentissimus Cardinalis Protector, ut informarent Curiam Romanam de gestis P. Taaffe, ejusque subdelegatorum, retulerunt aliquid particulare in præjudicium p. Copingeri, v. g. censuram ab ipso latam, vel nihil, si nihil, quare curia Romana per extraordinariam potentiam contra stylum & consuetudinem Ordinis, amoveret patrem Copingerum de nullo crimine accusatum, ante tempus a suo officio? Si aliquid tacuerunt causam motivam patris Copingeri in suis censuris fulminandis, nempe instructiones privatas p. Taaffe, contra inobedientes contumaciter auctoritati Apostolicæ, (ut supponebat tota Hibernia tum decepta,) & debitam obedientiam, ac reverentiam erga sedem Apostolicam: & sic per suppressionem veritatis istud decretum fuit obtentum, & consequenter subreptitie, & informatores illi rei sunt, occultando veritatem, ac si mendacium dixissent, cap. *Falsidicus de crimine falsi, uterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat:* Forte nonnulli imposuerunt Copingero quod conscius sit falsificationis P. Taaffe, quod quidem mendacium ita exorbitat a veritate, & exaggerari nequeat, imo hæc sola causa sufficeret Copingero ad appellandum ab illo decreto Eminentissimi Cardinalis protectoris, donec adversam partem de mendacio convincat, vel seipsum, si velit, canonice purget, cum per sacram Scripturam jubeatur *habere curam de bono nomine, quod magis permanet, quam mille thesauri pretiosi, & magni*, Eccl. 41. 15. *Et quod melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ*, Pro. 22. 1. *Et quam unguenta pretiosa*. Eccl. 7. 2. Unde non immerito sperat p. Copingerus, quod curia Romana, bene informata, non tantum revocabit illud decretū ob falsum motivum subreptitie ob-

obtentum, ſicut in ſimili eventu ſemper ſolet, (ut fama per conceſſionem iſtius decreti, Copingero ablata, per ejus revocationem ipſi reſtituatur) ſed etiam hujuſmodi delatoribus fidem in poſterum non adhibebit, *Cum ſemper malus, ſemper præſumatur malus ex reg.* 8. *Juris in* 6. Neſcio quomodo aliter iſti delatores reſtituerent famam Copingero, ad quod tenentur ſub peccato irremiſſibili abſque reſtitutione, *quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*, ex reg. Juris in 6. Et quocunque modo auferatur, ſive jubendo, ſive conſulendo, ſive conſentiendo, ſive palpando, ſive concurrendo, ſive participando, ſive tacendo, ſive non obſtando, ſive non manifeſtando, certum eſt auferentem famam teneri ad reſtitutionem in integrum, ut patet ex iſtis vetuſtiſſimis & impolitis Caſuiſtarum verſibus.

Quilibet in ſolidum reddat prius injuriato,
Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Cum hoc ſit veriſimum, & omnes fere concurrant ad auferendam famam proximo, aliquo ex his modis, nec reſtituere efficaciter ſtudeant, neſcio quis poterit ſalvari. Certe neminem excuſabit quod rumor ſit communis, & in ore omnium, ſi non ſit verus rumor, & qui ſi ſub hoc prætextu linguæ frena laxare conſueverunt, in maximo verſantur errore, & magis tenentur ad reſtitutionem famæ, quam bonorum fortunæ, cum illa ſit nobilioris conditionis.

Quæſtio. 22.

An congregatio celebrata nuperrime per P. Geanor, ſuumq; prætenſum diffinitorium, ex ſuppoſitione quod decretum illud nullo

nullo modo eſſet ſuſpectum de ſubreptione vel obreptione; ſed impetratum auditis in contradictorio partibus, & acceptatum a tota Provincia ſit valida.

Reſpondeo ex iſta etiam ſuppoſitione, negative; ſed eſſe irritam, & omnes Guardianorum electiones invalidas; quod probatur, quia votum unius abſentis, ſi non plurium, ſuppleverunt, contra expreſſum decretum, non ſolum Tridentini, ſed etiam Statutorum Ordinis, c. 7. his verbis, *Nec in poſterum liceat*, &c. *voces & ſuffragia abſentium ſupplere* &c. *prout ſacra ſynodo cautum eſt. Si vero contra hujus decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit, & is qui ſe eligi in prælatum permiſerit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda, inhabilis exiſtat.* Hæc verba non tantum ſunt ſtatutorum ordinis ſed etiam Trident. Seſſ. 25. c. 6. Ex quibus ſequitur nullum eſſe legitimum Guardianum, vel ſuperiorem localem electum in iſta congregatione prætenſi iſtius diffinitorij, & omnes qui ſe elegi permiſerunt, inhabiles exiſtere, ad omnia officia in religione obtinenda, nec ulla facultas conceſſa, vel concedenda ipſis poteſt patrocinari, ut patet ex Trident: ſupra, his verbis *facultates ſuper his conceſſæ eo ipſo abrogatæ cenſeantur, & ſi in poſterum aliæ concedantur, tanquam ſubreptitiæ habeantur.*

Ob. 1. contra hoc, nam ſecundum noſtra ſtatuta generalia accommodata pro Provincijs Belgicis, c. 7. de diffinitoribus, ſi contingat quod aliquis diffinitor moriatur, ſive alia ratione vacaverit, ejus loco ſubrogetur, & pro ſubrogato habeatur qui olim fuit diffinitor, vel cuſtos &c. Ergo ſecundum ſtatuta ordinis licet ſupplere vota abſentium. Reſpondeo ſi Trident: & ſtatuta adverſarentur ſibi invicem, potius neganda eſſe ſtatuta, quam Trident, hic tamen caſus eſt imaginarius, quia ſtatuta noſtra ne latum quidem unguem in hoc, diſcrepant a Tridentino, quia loquuntur de diffinitore mortuo, vel vacante, &

non

non vivo, nec in ſuo officio exiſtente, & in tali caſu alius deberet ſubrogari ſecundum tenorem ſtatutorum, nec hoc eſt contra Trident: ut ſi canonicus moriatur, vel ſua ſponte reſignaret, vel ob demerita invitus deponeretur, alius canonicus in tali eventu poſſit elegi per illos ad quos ſpectat, & haberet votum in capitulo, nec in tali caſu ſuppleretur votum abſentis, cum nullus eſſet abſens cujus votum ſuppleretur, ſed talis ſubrogatus eſſet abſolute vocalis.

Sic in noſtro ordine. Si moriretur diffinitor vel ſponte renuntiaret, vel ob demerita, aut inſufficientiam deponeretur, alius ſubrogaretur, qui tamen non ſuppleret votum abſentis, cum nullus eſſet abſens in officio, cujus votum ſuppleretur, & quod ſtatuta noſtra ita intelligantur, patet ex ipſismet ſtatutis c. 8. ubi ſpecificant patres convocandos ad capuitulum Provinciale, vel congregationem intermediam, & decernunt ſi aliqui ex convocatis non acceſſerint, quod non propterea capitulum ipſum, aut ſuſpendatur, aut differatur, ſed ſtatuto die celebretur: & non dicunt quod ſubrogentur alij loco ipſorum, quod tamen dixiſſent, ſi in tali caſu intenderent ſupplere vota abſentium.

Objicies 1. Ex noſtro Roderico de electionibus, abſenti legitime impedito licet, per procuratorem ſuffragium ſuum dare, nec hoc eſt, inquit, contra Trident, ita declarante ſacra congregatione cardinalium, quo tantum tollitur abuſus antiquus, quo ſolebant præſidentes in capitulo vota abſentium propria auctoritate ſupplere, ſubſtituendo Petrum, v. g. loco talis Provincialis abſentis, ad effectum electionis faciendæ, in magnum Religionis detrimentum. Reſpondeo totum non eſſe contra me, non enim inficior quin vocalis legitime impeditus poſſit nominare ſuum procuratorem ſeu agentem cum voto activo & paſſivo, quemadmodum Provincialis legitime impeditus,

quo minus accedat ad capitulum generale, poteſt cum diſcretis Provinciæ eligere commiſſarium qui excuſationem authenticam ſui Provincialis præſentet, & habeat vocem activam & paſſivam in omnibus electionibus, ac ſi verus eſſet Provincialis: non ſic autem in noſtro propoſito, quia ſaltem Pater Tulli, cujus votum fuit ſuppletum in iſta congregatione, nemini commiſit ſuum ſuffragium, imo hæc Roderici authoritas confirmat reſponſionem noſtram, nam quemadmodum in capitulo generali non licet ſupplere votum Provincialis abſentis ad effectum electionis faciendæ, ita neq; in capitulo Provinciali vel congregatione intermedia, licet ſupplere ſuffragium ullius vocalis abſentis, & licet in Capitulis generalibus nominentur aliquando vocales titulares, hoc tantum fit in locis vacantibus, & non ad ſupplenda vota abſentium, cum nulli ſint abſentes in hujuſmodi locis quorum ſuffragia ſupplerentur.

Objicies 2. Pater Jacobus Tulli prætenſus diffinitor, cujus votum, ipſo inconſulto fuit ſuppletum in iſta congregatione, poteſt ratum habere quod ibidem factum fuit. Reſpondeo ex regula 9. juris in 6. quod, *ratum quis non poteſt habere, quod ejus nomine non ſit geſtum.* Patet autem quod pater Jacobus Tulli tunc temporis Londini exiſtens, neminem pro ſe nominavit, ut ſæpe faſſus eſt, & ideo in Hiberniam reverſus ægre tulit, ut de ipſo referunt, quod ipſo in conſulto ullus in ejus loco ſubrogaretur. Nec obſtat quod invalide electi tot menſibus ſuis fungantur officijs ſemper contradicente Patre Copingero, *quia non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio ſubſiſtit. ex reg. juris in 6.*

Nequis forte ſuſpicaretur, quod ob propriam vel privatam utilitatem, & non ob commune Provinciæ bonum, præſertim Momoniæ, appellaſſet R^us Ad^n P. Copingerus a decreto Cardinalis Protectoris, aut quod proprio motu, & non aliorum inſtinctu

ſtinctu adverſæ partis violentiam reprimere conaretur, operæ pretium duxi, his ſubjungere inſtrumenta per patres Momoniæ ſignata, pro conſervando jure Momoniæ, aliorum ſit judicium, an fides ſit adhibenda iſtis, qui promiſſis ſuis & ſignis contradicunt, ac quolibet feruntur vincto doctrinæ.

Proteſtatio Patrum Superiorum localium, ſacræ Theologiæ lectorum & aliorum è præcipuis patribus Momoniæ.

QUoniam præteritorum temporum experientia, nobis abunde conſtat, Momoniæ provinciam tametſi ſemper & etiamnum, omnium Hibernicarum non telluris ſolum ſpaciis, ſed & incolarum ſaltem Franciſcani Ordinis fratrum & conventuum numero & qualitate, doctrinæ & ſcientiæ longe florentiſſimam, frequenter defraudatam beneficio communi alioquin conſtanter ſervandæ æqualitatis in Miniſtris provincialibus provinciæ Hiberniæ. Idque etiam proveniſſe ex aliorum nimia pro ſe ſollicitudine, noſtraque negligentia & diſunione ad ſuam promotionem artificioſe utentium. Ne in præſenti rerum mixtura prætextu electionis Reverendi Patris *Barry* aut commiſſionatus R. P. Copingeri ſimile iterum contingat: nobis infra ſcriptis ſuperioribus localibus, ſacræ Theologiæ lectoribus, & aliis ex præcipuis patribus Momoniæ viſum fuit præſens inſtrumentum formare, eique ſubſcribere, cujus vigore Palum proteſtamur contra omnem electionem aut proviſionem novi Provincialis, quæ fieret provinciæ Hiberniæ, aliunde quam ex Momonia deſumendi, unanimiterque promittimus, quod non agnoſcemus miniſtrum proxime ſecuturum, ſi aliunde deſumatur ſaltem uſque

ad debitam informationem eorum, a quibus peti debet remedium, aut justitia, contra tam manifestam injuriam, quod tam procul abest ab omni specie disobedientiæ, ut id etiam facere ad conscientiam & estimationem nostram spectare putemus. Et quia contingeret nos ipsos non esse præsentes, quando nobis hac in parte præjudicium fieret, ideo R. R. P. P. fratrem Franciscum Copingerum, Provinciæ Commissarium, & patrem Thomam Haroldum præsidem Kilkennicem, ac sacræ Theologiæ Lectorem Jubilatum, rogamus ut id sibi commendatum habeant: quibus proinde in ordine ad hoc, omnem quam possimus potestatem tribuimus, idque conjunctim, & divisim, seu utrique simul, & eorum cuilibet in alterius defectu. Actum xxvij. July. 1668.

Fr. Franciscus Copingerus sacræ Theologiæ Lector Generalis, & Provinciæ Commissarius Provincialis, Fr. Thomas Haroldus, Lector Jubilatus, & Præses Kilkennensis Fr. Moriartus O Gripha, Præses conventus de Quin. Fr. Jacobus Caius, Sacræ Theologiæ Lector, Fr. Franciscus Brudin, Præses conventus de Inish, Fr. Jacobus Sancto Joanne Prædicator, Confessor & Lector, Fr. Philippus Roch, Lector Generalis, Fr. Franciscus Wall, Præses Conventus de Adare, Fr. Jeremias Herbertus, Præses Conventus de Asketten, Fr. Gulielmus Hurly, sacræ Theologiæ Lector, Fr. Thomas Gormer, Confessorius & Prædicator, Fr. Antonius Barrett, Provinciæ Secretarius, Fr. Joannes Everardus, Præses Conventus Waterfordensis, Fr. Franciscus O Donell, Præses de Galbalii, Fr. Jacobus Vitus, Præses Clonmelensis, Fr. Bonaventura, Carthii Prædicator & Confessor, & Præses conventus de Kilkrea, Fr. Lodovicus Carthii Prædicator & confessor, Fr. Petrus Canal, Præses Wexfordiensis, Fr. Nicholaus Sall, Prædicator & confessor, Præses conventus Castellensis, Fr. Bonaventura Brudinus, sacræ Theologiæ Lector, Fr. Bonaventura Grady, sacræ Theologiæ

giæ Lector, prædicator & Confessor, Fr. Ioannes Dondon, " præses Conventus Limericensis, Fr. Franciscus Flemingus, " prædicator & Confessor, Fr. Antonius Falveus, Lector Iubilatus, Sacræ ac Hispaniarum inquisitionis Qualificator, & Con- " ventus de Irrelagh præses, Fr. Carolus Cartheus, prædicator " & Confessor, Fr. Jacobus Meagher præses conventus de Ros- " krea, Fr. Eugenius Callanus, sacræ Theologiæ Lector, Fr. " Thomas Vin confessarius & prædicator, Fr. Bonaventura " Crowlii sacræ Theologiæ Lector & prædicator, Fr. Eugeni- " us Carthii præses de Lisiaghtin, Fr. Franciscus Stacke, præ- " ses Ardfertensis, Fr. Gulielmus Neoin, prædicator & confes- " sor, Fr. Mattheus Clery, confessor & prædicator, Fr. Bona- " ventura Callanan, præses de Bantray, Fr. Thadeus Donava- nus præses de Thymolage, Fr. Franciscus Onett, prædicator & confessor, Fr. Franciscus Goold, præses korkagensis; Fr. An- " tonius O Canti, prædicator, Frater Franciscus Kenny.

Ex hoc instrumento liquido constat quam uniti, & in charitate conjuncti, inter se erant Patres *Mo*moniæ pro conservando jure suæ plagæ, donec instigante discordiarum Patre, primi inventores & fabricatores ejusdem instrumenti, nempe Patres Franciscus Bruedin, & Bonaventura Bruedin cum nonnullis aliis ejusdem inconstantiæ, propria sua commoda, communi totius Momoniæ juri præferentes, & ex hoc, matrem suam eviscerare molientes, postposita fidelitatis erga patriam protestatione seu compromisso, quo ipsi aliique Momoniæ patres, ad eorum exemplum, sese obstrinxerunt, fidem fregerunt, alienos in hæreditatem nostram (si fas est ita loqui) cum maximo scandalo introducentes, hoc tamen non obstante prædictum instrumentum denuo fuit revalidatum, & renovatum per patres congregatos Cassiliæ 2 Feb. 1669. stylo veteri nomine suo, & aliorum quorum erant procuratores, & qui legitime impediti ac-

cedere non poterant, eodem etiam nomine promiſerunt, quod pendente appellatione Patris Copingeri ad ſummum Pontificem agnoſcerent ſolum Copingerum, velut ſuum legitimum ſuperiorem, ſecluſis omnibus aliis in prætenſo decreto Cardinalis Protectoris inſtitutis, ut patet ex ſubjuncto inſtrumento.

Nos infra ſcripti fratres minores ſtrictitoris obſervantiæ Provinciæ Hiberniæ, viſa iterata appellatione Reverendi Admodum Patris fratris Franciſci Copingeri Provinciæ noſtræ vicarij Provincialis rite & canonice facta a quodam decreto quod incipit cum alias Reverendiſſimus fr. Ildefonſus Salizanes emanato ab Eminentiſſio ordinis Protectore Cardinalis Franciſco Barbarimo ſub die 27. *July.* 1669. ad Summum Pontificem, ob gravamina prædicto vicario noſtro Provinciali nobisq; illata, ac multa alia gravamina & abuſus inde ſecuta, in his ſcriptis promittimus quod pendente dicta appellatione ad ſummum Pontificem, cui ejuſq; ſucceſſoribus canonice intrantibus, nos juſq; noſtrum ſubmittimus, agnoſcemus præfatum Reverendum Admodum. P. Fr. Franciſcum Copingerum noſtrum legitimum viearium Provincialem a Reverendiſſimo Ordinis Generali Ildefonſo Salizanes inſtitutum, ſecluſis omnibus alijs in prætenſo illo decreto inſtitutis, & quod pro viribus laborabimus verbo & exemplo pro reſtitutione in integrum ſuperiorum localium in tota noſtra Provincia a ſuis officijs deſtitutorum, vel privatorum ſeu remotorum, vel alio quovis modo a ſuis locis & domicilijs excluſorum vel excludendorum per Patrem Geanor, & prætenſum ſuum diffinitorium. Inſuper in his ſcriptis renovamus, & revalidamus inſtrumentum jam formatum 27. *July.* 1668. Pro conſervando jure Momoniæ, cui ſubſcripſerunt Patres Momoniæ. Datum in noſtro Conventu Caſſelenſi 2. *Feb.* 1669. noſtro & totius Momoniæ nomine.

Fr

Fr. Thomas Haraldus Sacræ Theologiæ lector Jubilatus, Fr. Joannes Grady Guardianus de Quinhy, Fr. Jeremias Herbertus Guard. de Aſketton, Fr. Nicholaus Sall Guardianus Caſſelenſis, Fr. Bonaventura Butler Guard. Carrigienſis, Fr. Jacobus vitus Guard. Clonmelienſis, F. Antonius de Burgo Guard. de Galbali, Fr. Joannes Dondon, Fr. Joannes Everandus Sacræ Theologiæ lector, Fr. Franciſcus Fleming Guard. Waterfordienſis.

Hi ſunt Pares qui Patri Copingero perhibuerunt teſtimonium ſupra ſpecificatum. q. 7. pag. 22. Hæc omnia ſubjecta ſint judicio Sanctæ Romane Eccleſiæ in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, cui ſit laus, honor, virtus & gloria per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS.